

ANGELUS  
*Impenitens Punitens*,  
S E U  
ANGELICI DOCTORIS  
**D. THOMÆ**  
**AQUINATI S**  
**PŒNITENTIA**

*Minimè Pœnitenda Dogmata*  
AUTHORE EXIMIO PATE  
**HENRICO VAN HEDICKHUYSEN**  
Ordinis FF. Prædicatorum Sacrae Theolog.  
Doctore & studii Generalis Antverpiensis  
quondam Regente, Concinnata.



ANTVERPIÆ,  
Typis JOANNIS PAULI ROBYNS, in area Domus  
Professæ Societatis IESU, sub signo S. JOSEPHI. 1712.





# PROÆMIUM

## Pœnitentia Sacramentum TRIBUNAL SACRUM.

**C**lausâ innocentiae januâ, & intinctoris serâ obstructâ, dives in misericordia Deus, qui non vult mortem peccatoris, sed magis ut convertatur & vivat, collocavit in vestibulo pœnitentiam secundam, verum legis novæ, & necessarium lapsis post baptismum Sacramentum, sicut nondum regeneratis est ipse baptismus. Multis tamen Concil. Tertull. I.  
rationibus à baptismo differre dignoscitur. Nam Trid. Seu  
præterquam quod materiâ, & formâ, quibus Sa. 14. cap. 2.  
cramenti essentia perficitur, longissime dissidet;  
constat certe baptismi ministrum judicem esse non  
oportere; cum Ecclesia in neminem judicium ex-  
erceat, qui non prius in ipsam per baptismi ja-  
nuam fuerit ingressus. Quid enim mihi, inquit  
Apostolus, de iis, qui foris sunt, judicare? Secùs  
est de domesticis fidei, quos Christus Dominus la-  
vacio baptismi sui corporis membra semel effecit.  
Nam hos, si se postea crimine aliquo contaminave-  
rint, non jam repetito baptismo ablui, cum id in  
Ecclesia Catholica nulla ratione liceat, sed ante  
hoc tribunal tamquam reos sisti voluit: ut per Sa-  
cerdotum sententiam non semel, sed quoties ab ad-  
missis peccatis ad ipsum pœnitentes configuerint, pos-  
sent liberari. Est igitur hoc Sacramentum SA-

CRUM quoddam TRIBUNAL, in quo tamquam REUS peccator silitur, ipse sui ACCUSATOR, & TESTIS: cuius CAUSA sive materia est peccatum post baptismum coinmissum: in quo tamquam JUDEX Sacerdos residet: cuius SENTENTIA &

S. Hilar. terrestre JUDICIO præjudicata auctoritas est in  
Ine 16. cœlis, ut quæ in terris aut ligata sunt, aut soluta,  
Matth. mututi ejusdem conditionem obtineat & in cœlo.

Et verò justissimis de causis sacram hoc Tribunal in Ecclesia à Christo institutum est, ut quemadmodum ad Mare fusile non perveniebatur, nisi per porticum solii, in qua (Sacra testante Scripturâ 3. Reg. 7.) erat TRIBUNAL, lignis cedrinis à pavimento usque ad summitatem à Salomone tex-tum, & domuncula, in qua sedebatur ad judicandum in media porticu, simili opere fabricata: ita neque ad mare fusile pœnitentiæ abluendi mundissimis aquis de fontibus Salvatoris, profuso, inquam, ex Christi vulneribus pretioso Sangui-ne, pervenire nulli possent, nisi quibus per por-ticum solis (in qua & TRIBUNAL, & in medio porticus domuncula Sacerdotalis judicii à Christo Rege pacifico erecta est) transitus paretur. Quoniam verò tanta circa illud Sacramentale Tribunal, etiam nostrâ hac ætate, diversorum errorum est multitudo, ut non parum publicæ utili-tatis retulerit, de eo exactiorem & pleniorem de-finitionem tradidisse, in qua demonstratis & con-vulsis, Spiritus Sancti præsidio, universis, erro-ribus, Catholica veritas perspicua & illustris fieret,

\*Sess. 14. in init. ut loquitur Sacra & Oecumenica Tridentina\*  
Synodus: texemus nos illud, quantum in nobis est, lignis cedrinis, incorruptis videlicet Scripturæ Sacrae, SS. Patrum, Conciliorumque doctrinis, ac oræcipue doctoris Angelici dogmatibus, quæ jurè MINIME PŒNITENDA in titulo diximus, ut-pote Pontificis oraculo TUTISSIMA juxta & IN-CONCUSSA, quibus proinde securè superstruitur fori pœnitentialis praxis solida.

## § I.

*CAUSA DIFUDICANDA*  
**CORAM HOC SACRO  
 TRIBUNALI.**

1.  *S*t Solum propriè dictum peccatum; præteritum, non futurūm; proprium, non alienum; personale, non originale; post, non ante baptismum commissum. Quæ enim ante baptismum commissa sunt, non per modum judicij, sed per lavacrum regenerationis in baptismo remittuntur, cùm Sacramentale pœnitentiæ tribunal solum datum sit illis, qui jam intra Ecclesiam, & ejus jurisdictionem per baptismum sunt constituti. Unde qui fictè baptismum suscepit, sed tamen validè, solam fictionem & posteriora peccata confiteri tenetur, non autem priora, quæ virtute baptismi ante suscepti, recedente fictione, remittuntur. Sed quid de peccatis post primum baptismum commissis, dum aliquis ob dubium de ejus valore sub conditione baptizatur? Sunt dubia materia clavium, & consequenter sub conditione confienda, si primum baptisma validum fuerit.

2. Ex dictis infertur primò, imperfectiones propriè dictas, quamvis aliquo modo, saltem reductivè, participant rationem offendæ Dei, cùm non sint pura negatio perfectionis omnino indebitæ, sed debitæ quadantenus, licet non ex lege, saltem ex congruitate, hominemque ad peccata disponant, quia tamen propriè contra legem non sunt, nec proinde vera peccata, non esse sufficientem materiam Sacramentalis absolutionis, quæ solum respicit solvenda peccataverè talia. Utiliter tamen timorati se de illis accusant:

quia multūm juvant ad excitandum dolorem, confusione sui, & ad disponendum pro evitacione venialium, dum consilium sumitur à Confessario. Quid igitur ad sequentem casum Marianum?

B. Albertus Magnus Ratisbonensis Episcopus

\*in Edi- super missus est \* quæst. 43. § 2. postquam præ-  
tione lug- misisset, quo*i* triplex est confessio, scilicet accu-  
dun. an satio peccatorum, recognitio incongruitatis, vel  
1651.

ingratitudinis beneficiorum, & confessio insufficien-  
tia meritorum; subjungit: & hæc fuit propriè  
confessio Beatissimæ Virginis, qua confitebatur Deo,  
quod tantam gratiam suscepit, quod numquam de  
condigno meruit, vel quam omnis creatura mereri  
potuit, licet ipsa de congruo meruerit. Hæc, &  
similia confessa fuit B. Virgo Joanni Evangelistæ suo  
proprio Confessori. R. confessionem illam Maria-  
nam non fuisse Sacramentalem, nec S. Joannem  
Beatissimam & purissimam semper Virginem Ma-  
riam, quam ab omni labe peccati prorsùs novérat  
immunem, Sacramentaliter absolvisse. Unde  
divisio confessionis in tria membra relata non est  
divisio confessionis propriè acceptæ, sed in sensu  
alieno ab usu Theologorum, Conciliorumque  
loquentium de confessione, prout est pars Sacra-  
menti. Itaque si quis hodièque aliud nihil aperiret  
confessatio, quam dona sibi cœlitùs collata,  
veraciter addendo, se ea nullatenus fuisse pro-  
meritum, non posset cum ejusmodi seu con-  
fessione, seu narratione consistere essentia Sa-  
cramenti.

3. Inferiur secundò, relaxations, dispensatio-  
nes votorum & juramentorum, absolutiones ex-  
communicationum, aliarumque obligationum  
seu vinculorum, quæ nonnumquam in hoc tri-  
bunali sunt, non pertinere per se ad hoc judi-  
cium, sed ad aliam potestatem clavum genera-  
lioribus terminis Matth. 18. concessam: quæcum-  
que alligaveritis super terram, erunt ligata & in  
cælo; & quæcumque solveritis super terram,  
erunt soluta & in cælo. Unde et si ratione fori  
interni

interni conscientiæ commodè fiant in hoc tribunali , ad forum tamen Sacramentale propriè non spectant , cum extra Sacramentum fieri possint , nisi prohibeatur.

4. Infertur tertio , si aliquis falsò existimans se commisisse aliquod peccatum , quod revera non commisit , solum illud confiteatur , & absolvatur , Sacramentum non subsistere. Nam forma prolata à Sacerdote est propositio de subjecto non supponente , cùm revera peccati , à quo solvatur , vinculum non habeat. Unde dum pro materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ assignatur dolor , & confessio , intelligitur de peccatis veris , non autem fictis.

5. Quid verò de peccatis dubiis ? Paucis accipe. Vel dubium est de qualitate , an sint mortalia , vel venialia. Et tunc sine dubio huic tribunali exponenda sunt , ut Sacerdos , cuius est inter lepram , & lepram distinguere , judicet , feratque sententiam. Vel est dubium facti , an peccata , quæ certò creduntur mortalia , admiseris. Et ea etiam sub dubio confiteri teneris , adjunctis aliis , quæ certain materiam præbeant : quia & illa omittere , quæ fortassis commissa sunt , periculoso est ; & illa sola exponere , quibus irritum fieret Sacramentum , falsæ materiæ , si forte patrata non sint , appositione , Sacramenti integratæ injurium. Et certè sicut de peccatis dubiis tenentur homines conteri , ne æternæ damnationis periculo se exponant , ita ea confiteri omnes tenentur , cum Christus Sacerdotes reliquerit sui Vicarios , ad quos recurrere tenentur fideles per confessionem , sicut ad Christum recurrent per contritionem. Maximè quia in dubiis tutior pars est eligenda , saltem ubi periculum est certum. Sicut morbo periculoso , tametsi dubio , tenemur illud remedium adhibere , quod alioquin non nocitrum certum est. Obligatio enim certa non solum regulatur penes ipsum factum , sed penes certum periculum. Neque sic

pro debito dubio datur certa , & æquè magna solutio , ac pro certo ; cùm peccatum tantum dubiè sit confitendum , & longè minori , quam certum , puniendum sit pœnâ , etiam Reo salutari . Aliud est de foro exteriori & contentioso , in quo nemo tenetur stante dubio confiteri crimen judici interroganti : quia in dubiis , quæ in præjudicium nostrum vergunt , melior est conditio bonam famam possidentis . Unde regula juris , *in dubio non præsumitur delictum , nisi probetur ,* solum locum habet in iudicio forensi , quod primò & per se institutum est ad puniendum Reum , non autem in tribunali pœnitentiaz , quod à Christo institutum agnoscitur non ad puniendum , sed aī liberandum Reum , si delicta commissa fateatur . Regula altera , *in dubio melior est conditio possidentis ,* tantum valet in dubio de præcepto , non autem quando de præcepto circa rem dubiam aliunde constat .

6. Hinc sequitur , quod confessus peccatum ut dubium , si postea certus de illo fiat , confiteri illud ut certum iterù n debeat ; cum peccatum confiteri oporteat , non solum ut fuit , sed etiam ut est pro præsenti in conscientia . Consequenter dicendum pu.amus , quod dū n aliquis in numero vices aliquot sub dubio expressit , illas postea , de quibus certus fit , ut certas iterù n confiteri debeat . Quare confessus se pejerasse circiter decies , si postea certò deprehendat se id fecisse duodecies , tenetur illum numerum confiteri ut certum . Qui enim dicit se decies circiter , seu plū minusve pejerasse , perinde est , ac si dicat se pejerasse quidē septies , aut etiam octies , attamen dubitare , annon fortè undecies , aut duodecies jurarit falsum : ergò revera sub solo dubio confitetur duodecimum perjurium . Ergo si postea deprehendat se revera dixisse duodecimum falsum juramentum , debet rursū se accusare de illo absolutè , & non sub dubio : cum numerus peccatorum mortalium exactè , æquè ac species , in confessione explicari , & determinari de-

debeat. Respondet quidem Diana , majorem requiri exactiōnē in explicanda substantia peccati , quām in numero ; sufficere que numerum circiter declarari , quantus occurrit post diligentiam sufficiētē , ut communi usū receptum est , ex quo magis , quām ex principiis metaphysicis de confessionis integritate judicandum est . Nos verò differentiam nullam agnoscimus inter speciem peccati , & numerum quoad necessitatē distinctē explicandi , & exactē determinandi in confessione : neque discriminē illud in Tridentino legitur nec piorum hominum usus probat , nec ratio . Quare sicuti peccatum , quod dictum fuit ut dubium sed postea deprehenditur certum , ex communi Ecclesiæ sensu ( teste Dicastillo , qui dicit , peccatum semel dictum ut dubium , non debere iterū ut certum explicari , inauditum est in Ecclesia Dei ) Tract . I . in confessione debet postea dici ut certum : sic de pœnit . propter eamdem rationem dicimus de numero Disp . 9 . incerto , talem esse explicandum , si postea certò num . 141 . constet , quantus determinatē fuerit , dum scilicet constat fuisse majorem . Nec videmus , quī loquantur consequenter , admittentes primum , & secundum negantes . Sed quid si postea occurrat pœnitenti se in numero excessisse ? Ad nihil teneatur . Siquidem confessus est omnia , & singula sua peccata in numero majori ( quem bona fide exprimendo non peccavit ) inclusa . Non tamen est permittendum , quod aliqui dicunt , ut se in tuto constituant , se malle excedere , quām deficeret : cum confessio debeat esse fidelis , & verax .

7. Quod numeris præcedentibus dictum est , à fortiori dicendum , quando certus de peccato mortali à se commisso , prudenter dubitat , nūm sit confessus . Tunc enim constat contractam esse obligationem confitendi , & nulla sufficiens ratio occurrit , quod illa obligatio sit impleta ( nam dubia solutio non extinguit debitum certum ) ac proinde possessio stat pro præcepto contra pœnitentem . Qui tamen solitus diligenter discutere conscientia .

scientiam , & integrè confiteri omnia , quæ post conscientiæ examen memorie occurunt , post longum tempus merè non recordaretur confessio alicujus peccati mortalis , illic trepidaret timore , ne sit confessus , uti non est timor : proinde non deberet illius confessionem iterare , quia pro illa stat præsumptio . Quid vero ad casum sequentem :

8. Titius à multis annis non confessus , scripto mandavit quidquid ei post seriam reflexionem in mentem venit , & coram Confessario eam chartam recitavit fide quam optimā . Post multum vero temporis dubitat , an recitarit omnia , quia unum è peccatis mortiferis exaraverat miniri charactere , quam cetera ; unice facile fieri potuit , ut transiliisset peccatum istud , nec ullo modo recordatur se illud memorasse ; teneturne illud iterum confiteri ?

9. R. negativè , si habuerit intentionem recitandi omnia , quæ scriperat , nec legerit suam chartam nimirū festinanter , aut in loco multum obscuro . Siquidem ratio in contrarium petitā inde , quod non meminerit se legisse peccatum illud , & facilè potuerit ob indicatam circumstantiam fieri , ut istud transiliisset , insufficiens videtur ad gignendum prudens dubium , & consequenter ad inducendam obligationem confessio- nis repetendæ . Imò et si utcumque festinanter legisset suam chartulam , nec tunc quidem dicendus foret dubitare prudenter , si tantum ideo dubitat , quia non recordatur se legisse . Cum multò rarissimum sit , ut aliquid peccatum transiliatur penitus à serio volentibus confiteri omnia , nec admodum festinantibus . Unde quod ait S. Th. 3. p. q. 83. a. 6. ad 5 licet Sacerdos non recolat se dixisse aliqua eorum , quæ debuit , non tamen debet ex hoc mente perturbari : non enim qui multa dicit , recolit omnium , quæ dixit ; idem in casu dicendum arbitror . Si tamen ponamus , & locum fuisse perobscurum , & peccatum illud non fuisse com- mune , sed tale , ut sine singulari rubore mani- festa-

festari nequiverit, ipsum verò Titium meminisse quod cætera omnia recitarit: certè oblivio tam singularis ruboris, quam manifestatio illius peccati, juncta festinationi, obscuritati loci, & characteris tenuitati, subministrat rationem satis fortē, ut Titius merito, vel absoluē judicare debeat se illud transilisse, vel certè, omnibus consideratis, prudenter dubitare, adeoque obligatum esse ad rursū nō confitendum.

10 Qui peccatum, ut factum fuit, exposuit, ignorans vel dubitans, an mortale fuerit, nō postea addere debet, etiam si deprehendat fuisse mortale; eo quoī discretio qualitatis ad Confessarium potius; quam ad pœnitentem pertineat. Similiter qui inculpabiliter confessus est mortale, quod constat Confessarium ignorasse ut tale, non obligatur illud iterū alteri sufficienti scientiā prædicto confiteri: quia fecit ex parte sua, quod veri pœnitentis fuit. Senetur tamen obligationibus ex peccato natis satisfacere, et si per ignorantiam ei obligationes illæ impositæ non fuerint, V. G. restituere honorem, aut bona injustè ablata: quia talis obligatio ex natura rei remissioni peccati est annexa juxta illud: *non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Quod & in aliis obligationibus verificatur, ut quando reconciliatio est facienda, aut tollendum scandalum. Dictum est, qui inculpabiliter &c. si enim per ipsum stetit, quod minus peccatorum gravitas intelligeretur (utique quod verborum involucris, & decurtationibus, vel excusationibus ea palliaverit, aut scienter ad tales ignarum Confessarium accesserit, ut ita peccatorum verecundiam evaderet) certum est teneri alteri scienti, & docto iterū confiteri. Siquidem illa confessio non fuit vera accusatio, sed potius excusatio, vel fictio, & dolus. Concludens prudenter, sicut in negotiis magni momenti vir serius solet, vel se non peccasse, vel esse confessum, ad nō tenetur. Non enim plus ab homine quoad memoriam infirmo  
exigi

exigi potest , nisi cum molestiis innumeris , & carnificiâ. Similiter scrupulosos , qui passim dubia formant , ut possint omittere omnia , nisi quæ certò credunt mortalia fuisse , excusat incommodum gravissimum perpetuò inhærendi suis scrupulis. Unde suadendum est illis , ut omnia dubia conteignant : quia etiam in manifestè licitis dubitare solent , an peccaverint.

11. Sicut peccata dubia sub dubio sunt confitenda , ita magis certò , si sint mortalia , etiamsi occultissima illa sint , & tantum adversùs duo ultima Decalogi præcepta commissa. Cùm enim

**Concil.** universa mortalia peccata , etiam cogitationis , bo-  
**Trid. sess.** mines iræ filios , & Dei inimicos reddant , necessum  
**14. cap.** est omnium etiam ventam cum aperta , & vere-  
cunda confessione à Deo querere. Proinde rectè dicuntur materia necessaria confessionis , non quod ex eis hoc Sacramentum necessariò constet , sed quod ista sine illo , aut ejus voto remitti non possint. Venialia vero , quibus à gratia Dei non

**Concil.** excludimur , & in quæ frequentius labimur , quam-  
**Trid.ibid.** quam rectè , & utiliter , citrâque omnem præump-  
tionem in confessione dicantur , quod piorum homi-  
num usus demonstrat ( ac proinde sint confessionis  
materia apta , & sufficiens ) taceri tamen citra cul-  
pam , multisque aliis remedii expiari possunt. Unde ab aliis rectè dicuntur materia libera , quia pœ-  
nitenti liberum est ea in confessione dicere , vel  
omittere. An etiam liberum Confessario , ab iis  
ritè confessis absolvere , vel non absolvere ? Affir-  
mant nonnulli ob praxim Græcorum , de quibus  
in suo Euchologio ita ait Noster Goat : illi se-  
dentes , pœnitentes pariter sedentes ( pro antiquo  
Latinorum more apud Alcuinum de Div. off. ubi  
de capite jejunii ) pro exomologesi audiunt : si leves  
& veniâ dignas pœnitentis cuiusque deprehenderint ,  
nullam adhibent absolutionem , sed de pio , devo-  
toque quodam opere monitum , amicè remittunt.  
Quem usum , seu verius abusum in tantum aliqui  
æmulari dicuntur , ut sola venialia confi-

tentibus negandam absolutionem autument , si multorum relationibus credere fas sit. Verum contraria laudabilis praxis viget in Ecclesia Romana , in qua etiam pro solis venialibus absolutione datur. Et verò qui pro solis venialibus absolutionem negandam , & pro mortalibus , paulo saltem gravioribus , non nisi difficillimè , & post longas moras , variisque graves , arduas , ac difficiles , & nonnumquam exoticas satis perfectas pœnitentias , impertendam volunt , non parùm hujus Sacramenti usum frequentiorem hoc duplici abusu enervant.

12. Sicut non tenemur venialia confiteri absolutè , ita nec integrè. Unde voluntariè aliqua omittens non peccat , esto Confessarius cogitet plura non latere. Similiter non peccat , qui lapsus in mortalia , confitetur eadem integrè uni , & postea venialia Confessario ordinario. Hoc enim à libertate pœnitentis dependet , etsi sit minus congruum. Nec per hoc committit hypocrisim , aut decipit Confessarium ordinarium positivè , sed decipi permittit , consulens suæ verecundiæ , & bonæ apud illum existimationi. Melius tamen est sincerè totam conscientiam Confessario ordinario aperire : & peccaret , qui hac viâ declinare vellet oportunum remedium relinquendi occasiones , aut consuetudinem peccandi. Non debent tamen Confessarii conscientias ordinariorum pœnitentium coarctare , ne ad alium accedant : cùm id sit contra libertatem confessionis , quæ hac etiam occasione subinde præ verecundia sacrilegè instituitur. Proinde peccaret .... Sacerdos , si non esset facilis ad præ- S.Thom. bendam licen:iam alteri confitendi : quia multi in Suppl. sunt adeò infirmi , quod potius sine confessione mo- q. 8. a. 4. rerentur , quam tali Sacerdoti confiterentur. Unde ad 6. illi , qui sunt nimis solliciti , ut conscientias subditorum per confessionem sciant , multis laqueum damnationis iniiciunt , & per consequens sibi ipsis. Notent hoc Confessarii illi , qui dum suos pœnitent-

nitentes alteri confessos intelligunt , eos ad se revertentes dure excipiunt , aut etiam torve à se dimittunt. Expendant id etiam Prælati Religiosorum , & præsertim Monialium Confessarii , sæpè nimium difficiles in danda illis licentia , ut subinde alteri semel confiteantur.

13. Uti venialia non sunt necessariò in confessione exanimenda quoad substantiam , ita nec quoad numerum. Existimat tamen Cardinalis

\* Dis. 9. Lugo\* in tantum virtute confessionis venialia re. num. 56. mitti , V. G. mendacia , in quantum Confessa- & Disp. rius confuso modo percipit eorum multitudinem ; 14. num. 142. aliter verò non omnia , sed duo V. G. vel tria , secundùm quod ex modo confitendi à Confessario percipitur. Sed hæc doctrina aliis merito displicet , nec consonat communi praxi , & existimationi , quæ potius suadet , sufficere , quod venialia ex-

primantur indefinite , ut remittantur omnia. Et ratio est : quia Sacramentum non postulat comparatione venialium distinctam notitiam multitudinis , sicut comparatione mortalium ; ac proinde ejus vis , & efficacia potest se extendere ad totam multitudinem , et si tantum confusè , & indefinite propositam. Sicut virtus consecrationis extendit se ad totum hostiarum cumulum , et si , præcisè quot sint formulæ , ignoretur. Quare fideles , & Confessarii non sunt de numero exprimendo quoad venialia multum solliciti. Quod verò ait Vir Eminentissimus , quando venialia indefinite exprimuntur , solùm remitti , quatenus confuso modo Confessarius numerum percipit , V. G. duo vel tria , aut intra eamdem speciem graviora , aliunde non subsistit. Non enim major est ratio , cur unum remitteretur , quam aliud , quando nullum determinatur ; sicuti idcirco vi indeterminata intentionis consecrandi nil consecratur.

14. Quoniam eadem materia remota duplice Sacramento deservit , rectè quoque pro sufficienti confessionis materia statuitur peccatum legetimè ante

ante confessum , & remisum , cuius repetita confessio novo dolore informata omnino pro banda videtur : quia quanto pluribus Sacerdotibus confitetur quis , tanto plus de poena et remittetur , tum ex erubescencia confessionis , quae in paenam satisfactoriam computatur , tum ex vi clavium . Unde toties posset aliquis confiteri , quod ab omni poena liberaretur . Nec reiteratio injuriam facit Sacramento , nisi illi , in quo sanctificatio adhibetur vel per characteris impressionem , vel per materiae consecrationem : quorum neutrum est in Pœnitentia . Accedit quod hac via confessio venialium , in quæ frequentissime labimur , non parum assecuretur . Unde laudabilis praxis est multorum , post confessionem venialium , majoris securitatis ergo , mortale aliquod de vita præterita adjungere . Duo tamen tunc cavenda . Alterum , ne pœnitentes de venialium contritione , & emendatione illius sint solliciti , quam si haec sola confitentur . Alterum , ne mortale illud quasi ex consuetudine subjungant , sine novo dolore & de testatione , historicè magis ipsum narrando , quam de eo Sacramentaliter se accusando .

15. In secunda illius confessione non est necessarium indicare , quod ante confessioni adhuc subjectum fuerit , eo quod pœnitens possit juri suo & commodo cedere , ut bis eamdem verecundiam , & paenam Sacramentalem sustineat . E contrario mortalia numquam confessa ille non sufficenter exponit , qui ante illa se adhuc confessum fuisse simulat , utpote non plenè ex parte sua verecundiam subiens , & præterea impediens judicium condignè punitivum , rem profectò non levem , pro qua numerum & species peccatorum Christus exponi voluit , prout in Tridentino declaratum est , & patet ex ipsa natura hujus Sacramenti , quod institutum est per modum judicii , in quo ad sententiam debitè ferendam necessaria est cognitio totius causæ . Unde recte Concilium Tridentinum : *constat... Sacerdotes*

Sess. 14. dotes judicium hoc incognitā causā exercere non po-  
cap. 5. tuisse , neque aequitatem quidem illos in pœnis in-  
jungendis servare potuisse , si fideles in genere  
dumtaxat , & non potius in specie.... sua mortalia  
peccata declarassent.

16. Etsi certum sit , numerum peccatorum mortalium sub novo mortali peccato , quoad moraliter sieri potest , esse exprimendum : nihilominus paucissimos reperire est , qui Rei diversarum specierum , numerum peccatorum circa eas admissorum exprimant. Longè autem plurimi censem le multum præstare , dum dicunt : feci aliquoties , feci sæpius , vel sæpissime . Quid igitur aget Confessarius cum pœnitente , qui de numero peccatorum interrogatus , eo quod ita confitetur , aliquando pejeravi , nonnumquam detraxi , sæpè forniciatus sum , dicit se non esse solitum aliter confiteri , nec umquam de numero fuisse interrogatum ? R. si pœnitens de proposito omiserit numerum exprimere , vel sciens , quod esset exprimendum , ideo non expresserit , quia non interrogabatur , vel denique per ignorantiam crassam aut affectatam ita confessus fuerit ; omnino urgendus est ad illarum confessionum repetitionem , nec est antea absolvendus. Si verò bona fide processerit , simpliciter existimans non esse necessarium aliter numerum exprimere , non sunt iterandæ quidem præcedentes confessiones , sed supplendus earum defectus per verosimilis numeri omissi expressio- nem ; & instruendus talis pœnitens , quod imposterūm teneatur numerum exprimere. Optimum autem erit consilium , ut confessionem generalem totius vitæ instituat , si ad illam faciendam induci possit , & fuerit idoneus.

17. Circa numerum exprimendum duo sunt observanda. Primum : ubi non potest pœnitens certum numerum exprimere , ut exprimat verosimilem , & qui magis ad certum accedere cen- seatur , addendo , plus vel minus. Advertendum tamen , ut non quasi divinando , aut in genere nume-

numerum quemcumque , etiam maiorem sumendo , confiteatur , sed prudenti æstimatione & reminiscentiâ , quis vero similior sit numerus , expendat . Unde perperam agunt illi pœnitentes , qui absque judicio & debito examine quasi ad singulos numeros adhibent particulas illas , plus , minusve sibi ab blandientes quasi omnium numerum per hoc suppleant , quod falsum est . Cùm enim suppletio debeat esse moralis , ex judicio & morali examine fiat necesse est . Alterum est : ut cùm nec certus , nec vero similis aliquis numerus colligi potest propter lapsuum multitudinem , & nimis diuturnam confessionis dilationem , candidè aperiat pœnitens in qualibet specie suum statum , videlicet inclinationes pravas , consuetudinem , modos & frequentias lapsuum per diem aut hebdomadam , durationem temporis , quâ in peccatorum commissione voluntariè permanuit , incentiva occurrentia , &c. Ex his enim prudens Confessarius statum pœnitentis melius cognoscet , quâ ex numeri alicujus conjecturalis expressione , quam plures faciunt ad evadendam Confessarii eos urgentis importunitatem .

18. Hinc Confessarii Rusticorum , aut Rudium , vel eorum , qui diutissimè in peccatis perdurantes vix ullam salutis suæ curam habuerunt , certius in notitiam statûs peccatoris prevenient , examinando illius modum ordinarium vivendi in genere , cum inclinationibus pravis , conversationibus , consuetudinibus , quâ miserè pœnitentem torquendo super expressione numeri , quæ talibus est impossibilis . Si quid enim ad importunitatem Confessarii dicant , illud divinando dicere , & non nisi conjecturam parùm verosimilem facere , experientiâ compertum est : tūm quia in diversis peccatis ferè eundem numerum exprimunt , licet unum præ altero longè frequenter fuerit ; tūm quia postea specialius interrogati , quoties in die , hebdomadâ . vel mense , ex propria declaratione non raro deprehenditur

vix tertiam numeri partem tuisse prius expressam.  
 Unde ordinariè dicere solent , feci plus centies ,  
 plus millies . Quis autem credat illos talcum nu-  
 merum tam parvo , quo se examinatur , tem-  
 pore potuisse memoriam percurtere ? Sanè audito  
 hujusmodi numero , nulla certitudo alia Con-  
 fessario obtinere potest , nisi quod frequentissi-  
 me peccator lapsus fuerit . Unde cùm dicit ,  
*centies , vel plus centies , hoc est , frequentissime :* &  
*cùm dicit , plus quam millies , hoc est , toties*  
*quoties , & quasi continuè . Itaque cùm ab hujus-*  
*modi pœnitentibus Confessarii semel numerum*  
*petierint , videntes illos tergiversari , aut conjicere*  
*potius , quam ex morali æstimatione numerum*  
*aliquem exprimere , non sint importuni inter-*  
*rogando quoties , sed de statu & modis ( ut dictum*  
*est ) inquirant , inde sibi judicium de statu poe-*  
*nitentis formando , de quo & ipsum informent .*  
*Sed pro praxi ad casus in particulari paulisper*  
*descendamus .*

19. Meretrix non sufficienter confitetur , si  
 dicat se per annum omnibus , tam conjugatis ,  
 quam solutis , tam Clericis & Religiolis , quam  
 Laicis fuisse expositam : cùm ex duabus ita æqua-  
 liter expositis fieri possit , ut una centies , & saepius  
 cum Clericis , aut conjugatis , alia fortassis vix  
 decies peccarit . Itaque conetur talis numerum  
 peccatorum eorumdem ( quoad moraliter fieri  
 potest ) exponere . Quod quidem facilius fiet , si  
 non totam simul summam computet , sed vero-  
 similiter dicat , quoties circiter in hebdomada vel  
 mense cum talibus & talibus personis peccaverit .  
 Id quod similiter in aliis quoque peccatis , qua  
 per consuetudinem frequentantur , faciendum est .  
 Circa numerum actuum internorum non viden-  
 tur cogendæ meretrices , cùm impossibile sit eos  
 ad aliquem numerum reducere sine periculo  
 maximi erroris per excessum , aut defectum . Quod  
 de meretricibus dictum est , conformiter de con-  
 cubinariis dicendum , non sufficere videlicet , si  
 con-

confiteatur concubinarius , quanto tempore con-  
cubinam domi habuerit , addendo etiam se eā  
velut uxore usum fuisse per tot menses & annos :  
sed præterea species luxuriæ . quas cum ea admisit,  
exprimere oportet , & singularum verosimilem  
numerum , dicendo , quoties circiter in hebdoma-  
da , vel mense .

20. Qui passim solet turpiter concupiscere mu-  
lieres sibi obvias , aut circa eas morosè delectari ,  
satisfacit , si præter conditionem suæ personæ expli-  
cit quām diu illam habuerit consuetudinem , & spe-  
cies principales , V.G. an frequenter circa conjuga-  
tas an aliquando circa cognatas , vel personas Sa-  
cras delectationem morosam , aut mœchandi desi-  
derium habuerit ; dicendo specierum , quarum po-  
test , & quoad potest , numerum verosimilem , qui in  
concupiscentiis saltem rarioribus , V.G. incæstuosis  
& sacrilegis , ad assequendum moraliter , non vide-  
tur adeò difficilis . Sed quid de illis homi-  
nibus , qui consuevēre toto ferè die colloqui de  
rebus turpissimis , sine ullo delectu circa mate-  
riam , vel socios , tam circa conjugatas , quām  
solutas ? Vitium hoc admodùm frequens est non  
solum in conventibus ruralibus utriusque sexūs ,  
*vuln. Labayen* , & conventionalis oppidanis , in  
quibus ( proh pudor ! ) nonnulli ex jactantia suas  
referunt impudicitias , & sæpiissimè à se factas fin-  
gunt , quas fecerunt nunquam ; sed etiam in  
hominibus rusticis , & plebeis , dum eos simul  
laborare contingit . In illis videndum est primò ,  
in loquente , quā intentione quis locutus fuerit  
turpia , & lasciva : an animo seipsum , aut alios  
ad libidinem provocandi , vel oblectandi se rebus  
ipsis turpibus , quas narrant , aut cum alicujus  
similis delectationis periculo , quod regulariter  
mortale est ; an verò ex levitate dumtaxat , vel  
ob solam delectationem , quæ non transeat ad  
tes per verba significatas , sed in ipsis verbis ,  
eorumve artificio sistat , quod solum veniale est ,  
modo aosit aliorum scandalum , & alicujus ulte-

rioris consensū periculum proprium. Secundō ex parte materiæ considerandum, de quibus rebus colloquia commisceantur. Denique ex parte audientium, corām quot personis, & qualibus. Nee à peccato excusanda sunt hujusmodi spurciloquia, quod corām conjugatis dumtaxat proferantur (ut sibi communiter persuadent uxorati existimantes sibi pœnè licere hac in materia loqui, quidquid libet) imd ex hoc capite sēpē graviora sunt peccata, si nimirūm multūm obscēna fuerint, & ad venerem vehementer provocantia. Si tamen non admodūm lasciva sint, per se loquendo minūs peccat corām conjugatis turpiter loquens, quām coram juvenibus & puellis, in quibus ut plurimūm majus est periculum, quām in maritatis & uxoraris, quos turpiloquiis communibus non ita facile carnaliter moveri, experientiā notum est. Porrò ad cognoscendum moraliter numerum & qualitates personarum, quæ talibus turpiloquiis interfuerunt, non parūm juvare poterit Confessarium, si inquirat, quales ordinariè sint personæ in illis conventibus, quos frequentat, quibuscum ordinariè conversari soleat, aut simul laborare, & deinde interroget, an etiam extra communia confortia aliquando talia spurciloquia commiscuerit.

21. Solutus cum soluta tota nocte decumbens, animo explendi libidinem, quoad posset, non sufficienter confitetur, si dicat, *tota nocte in lecto impudicè conversatus sum cum una, quacum feci quod volui*, sed exprimere debet, quoties cum ea copulam habuerit. Cùm enim quælibet forniciatio sit actio totalis & completa, nec una ordinetur ad aliam, intentio eas certò exercendi intra aliquod certum tempus, non sufficit ad efficiendum, ut eæ sint una moraliter actio peccaminosa. Quis enim unius dumtaxat peccati mortalis damnet illum, qui ex vi propositi initio. Quadragesimæ facti ne semel quidem jejunat, nisi tortè Sabbato Sancto? Verba tamen, oscula, & tactus impudici exerciti

exerciti in ordine ad copulam subsecutam ( nisi multum extraordinariè duraverint , aut speciale modum turpidinis contineant ) non sunt necessariò exprimendi , sed sufficit , si manifestetur ipsa copula , cum hæc malitiam tactuum includat , & intentio copulæ periculum alterius peccati . V. G. pollutionis à tactibus excludat . Idem non improbabiliter multi dicunt de tactibus & osculis immediate copulam subsequentibus , si periculum vel ordinatio ad novam copulam vel pollutionem secludatur : quia sunt prioris copulæ complementum , & quasi illius approbatio . At verò illi tactus impudici , qui præcesserunt copulam non intentam , sed per accidens secutam , seorsim à copula sunt declarandi . Siquidem in illo casu non faciunt moraliter quid unum cum illa .

22. Fur non sufficienter confitetur , si dicat : *jam à quinquennio V. G. ita perdite deditus sum furtis , ut , cum se offert occasio , sicut sæpiissimè offertur , surripiam quæ possum . Et quidem res sacras , notabilis pretiis , è loco sacro quinques , aut Sexies . Sed præterea explicare debet totam quantitatem rei acceptæ , dicendo quantum communiter solitus fuerit singulis furtis plus minusve surripere , ut ita ex utraque notitia colligi possit verosimilis numerus . Ad hæc à quibus personis furatus sit , à divitibus , an pauperibus , & documentum , quod per furtæ intulit , si per eadem fortè aliquos depauperavit . Utrum etiam non consueverit armatus incedere ad sibi obstantes occidendum aut lædendum , & quot graviter læserit , & occiderit .*

23. Qui pluribus juramentis continuis confirmat rem falsam , vel in eadem iracundia pluries blasphemat , vel uno impetu plura verba contumeliosa aut infamatoria ejusdem speciei in aliquem evomit , vel eodem tempore mulierem sæpius lascivè tangit , aut in eodem furore tria vel quatuor vulnera successivè uni , eidemque infligit , solum committit unicum numero pec-

carum : quia omnes actiones illæ continuantur , & in uno aliquo adunantur . Sed quid de eo , qui fæpūs habuit delectationes morotias , desideria fornicationis , vindictæ , &c.? Censent aliqui , non tot admisisse peccata , quoties illa desideria vel illas cogitationes habuit , sed attendere oportere , quoties actiones illas repetierit , postquam liberè constituit ab illo inordinato affectu discedere . Siquidem , inquiunt , quando cogitas rem turpein , vindictam , & similia , instituis quasi congressum cum objecto malo , sicut instituis cum illo , quem incipis contumeliis petere . Sicut ergo non censeris hic toties multiplicare numero contumilias , quoties easdem repetis , aut consimiles ingeris , sed solùm tunc , quando repetis , postquam liberè cessasti ; ita etiam non multiplicas peccata desideriorum , nisi liberè cesses à congressu cum objecto desiderato . Censetur autem moralis idem congressus ( ut loquuntur ) cum objecto , quamdiu ab ea cogitatione animus non discedit , licet brevi morulâ , casu , vel naturali aliqua distractione interrumpatur . Postquam vero voluntariè ab ea cogitatione divertimus , licet non per revocationem voluntatis præteritæ , jam congressus ille cum objecto censetur finitus & completus , datâ nimirum licentiâ descendendi & abeundi . Quod si postea redeat , censebitur novus congressus , & aliâ occasione de novo peccati , non primâ . Nobis hæc sententia sic explicata non displicet . Haud tamen placet , quod videatur veille adstruere , nimirum tunc esse desideria moraliter repetita , & non potius unum , idemque moraliter continuatum , quod secundum nos accendum putamus : cum certum sit in casu solùm dari interruptionem physicam actus , non moralem .

24. Qui statuit occidere inimicum , ut primùm ei occurerit , committit tantum unum numero peccatum , si statim se accingat ad paranda omnia opportuna neci inferendæ , ut si sclopeium oneret

oneret, gladium acuat, equum concendat, iter ingrediatur, esto ante scelus patratum semel, iterū mve obdormiscat. Si autem identidem suum propositum iteret, postquam ab eo voluntatariē se diverterat, aut si post illam obfirmatam voluntatem opportuna illi occasio occurrat hosteme medio tollendi, negligat tamen, etiam de meliori non cogitans, censembitur revocasse propositum, proinde conscientē novum numero scelus renovando eam voluntatem: & maximē si illum facti illius barbari consiliū pœnituerit, & post pœnitudinem iterū arridere incipiat. Pœnitudo siquidem, mutatioque propositi tollit unitatem: ac proinde hoc in confessione necessariō exprimendum est.

25. Confitendæ similiter sunt plures rationes objectivæ solo numero diversæ, quas idem actus internus vel externus respicit: ut sunt plures actiones malæ peragendæ jura plura seu unius, seu diversorum simul violata. Actus enim, sicut à pluribus objectis specifis malitiā speciei multiplicem, ita à pluribus objectis numericis numericè multiplicem contrahit. Unde confitendus est numerus Sanctorum, contra quos uno actu blasphematur, vel personarum, contra quas uno actu peccatur homicidio, detractione, scandalo directo: imò etiam indirecto, nam in eo interpretativè ruina plurium intenditur & procuratur. Proinde qui unica detractione infamat integrum Monasterium, aut ex animo dicit, *diabolus*, auferat omnes illius pagi incolas, tot peccata committit, quot sunt personæ in illo Monasterio vel pago.

26. Effeclus necessarius ex peccato externo saltem non retractato secutus, confitendus est, ut externi complementum. Quod satis ostendit praxis fidelium, secundum quam Reus homicidii confiteri solet non tantum se, quantum poterat, tentasse alterum occidere, V. G. scloperum explodendo, aut venenum propinando, sed etiam eum defactō occidisse. Oppositum tamen non  
im-

improbabiliter dicitur, quando actus peccati ante effectum secutum retractatus est, præsertim si antecedenter confessioni subjectus fuerit: ne bis idem peccatum confitendum sit, aut detur occasio peccatori differendi confessionem, donec effectus peccati sit subsecutas.

**Sess. 14.** 27. *Circumstantias in confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant, definitum est in Tridentino, quod sine illis peccata ipsa neque à pœnitentibus integrè exponantur, nec Judicibus innotescant; & fieri nequeat, ut de gravitate criminum rectè censere possint, & pœnam, quam oportet, pro illis pœnitentibus imponere.* Quod verum habet sive circumstantia mutet speciem moralem, seu ex parte objecti sumptam, sive solùm speciem Theologicam, seu reatus, prout dum actum de peccato veniali transfert in mortale. Unde circumstantia notabilis quantitatis in furto exprimenda est, licet furtum magnum & parvum sint ejusdem speciei moralis, & eidem virtuti iultitiæ opposita.

28. Sed quid de circumstantiis intra eamdem speciem peccati mortalis purè aggravantibus? Si usque ad novam virtualiter malitiam mortalem intra eamdem speciem ascendant, de necessitate in confessione explicari debent, cùm ratio

**In 4. dist.** Concilii Tridentini æquè pro illis militet, ac  
**¶ 6. q. 3. a.** pro circumstantiis speciem murantibus. Nec  
**2. quæsti-** contraria nunt Doctori Angelico, dum ait: qui-  
**unc. 5.** dum dicunt quod omnes circumstantias, quæ ali-  
quam notabilem quantitatem peccato addunt, con-  
fiteri necessitatibus est, si memorie occurrant. Alii  
verò dicunt quod non sint de necessitate confitendæ,  
nisi circumstantiæ, quæ ad aliud genus peccati  
trahunt: & hoc est probabilius. Manifestum enim  
est ipsum loqui de circumstantiis quadam tenus  
quidem notabiliter, sed tamen citra peccatum  
mortale, seu novam mortalem malitiam intra  
eamdem speciem aggravantibus; siquidem pro  
ratione subjungit: quia venalia non sunt de ne-  
cessita-

cessitate confitenda, sed tantum mortalia, quæ quantitatem infinitiam quodammodo habent. Et in solutione ad 1. dicit, quod quamvis homo de Sodoma, id est, de peccato mortali non possit exire nisi per confessionem: tamen de illis, quæ circa sunt, id est, de venialibus, & circumstantiis, quæ venialibus equivalent, potest homo exire sine confessione. Non poterat mentem suam reddere illustriorem, cum hanc difficultatem de confitendis circumstantiis non mutantibus speciem ex professo tractans, seipsum declarat dicendo, quod loquatur de circumstantiis, quæ venialibus æquivalent, à quibus necesse non est per confessionem exire. Unde in 4. ad Annib. dist. 16. q. unic. ubi eamdem questionem instituit, an omnis circumstantia sit confitenda? Respondet, quod circumstantia, quæ novam rationem peccati mortalis addit, de necessitate est confitenda, alias non.

29. Ex quo patet pro praxi, quod usque circumstantia aggravari debeat, ut sit in confessione necessariò explicanda. Eò usque videlicet, ut malitia, quam superaddit ultra malitiam specificam peccati, sit talis, quæ per se sufficiat ad peccatum mortale. V. G. si materia gravis furti infima sit florenus, qui furatus est duos, teneatur id explicare, secùs si infra, V. G. unum cum dimidio. Ratio est, quia si aggravatio in eo, quod superaddit, sit culpa mortalis, licet non muter speciem moralem, seu ex parte objecti, mutat tamen speciem Theologicam, quæ præcisè respicit offenditam Dei, estque nova additio offenditæ mortalis, quamvis sit eadem species moralis. Quamquam autem hæc regula verum habeat, & in circumstantia pertinente ad quantitatem materiæ possit facile ad præm duci, in circumstantia tamen intentionis, & durationis pati videatur difficultatem, ut propterea nostra sententia multis videatur rigorosa nimis. Verum etsi in duratione & intensione aggravet notabiliter in ordine

ordine ad malitiam peccati quævis pars libera, non tamen in ordine ad confessionem, ne, cùm sit difficillimum illius augmenti minutias allequi & explicare, confessio carnificina fiat. Quare illa sola duratio & intensio in ordine ad confessionem notabiliter aggravat, quæ ordinarium modum in certo genere non parùm excedit. Si verò notabiliter major solito non fuerit, moratiter intelligitur, actu ipso explicato.

30. Quid verò de circumstantiis notabiliter diminuentibus? Aliæ minuunt intra eamdem speciem, aliæ speciem mutando sive moralem, seu ex parte objecti, sive Theologicam, seu ex parte reatus. Hoc autem contingere potest quadrifariam. Primo si actus circumstantiatione explicatus nullum sit peccatum, qui simplicitet dictus videri posset culpa mortalis: ut si quis dicat se occidisse hominem, sed id fecerit in sui defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ. Secundo si circumstantia addita declareret solum esse veniale, quod esset alijs mortale; ut motus gravis iræ ex subreptione, & subito impetu, cum imperfecta dumtaxat & semiplena deliberatione. Tertio si circumstantia tollat unum malitiam mortalem, quamvis relinquat aliam: ut si aliquis scienter occidat hominem, quem invincibiliter ignorat esse Clericum, excusatur à sacrilegio, sed non ab homicido. Quartò denique si actus sine circumstantia appareat unius speciei, cum illâ verò, alterius, licet levioris. Et in his omnibus certum est circumstantias esse declarandas, vel ab solutè, ut dum circumstantia minuens actum transfert ad aliam speciem peccati mortalis, licet levioris: vel saltem in hypothesi quod aliquis actum confiteri velit, ut dum circumstantia illum aut omnino à mortali excusat, aut de mortali facit veniale. Si verò diminutio illa non extirhat actum à peccato mortali, nec ad aliam speciem mortalis transferat, existimamus per se loquendo circumstantiam

tiam alleviantem subtricer posse , siquidem illa à peccato excusativa est , non accusativa , nec illa additio circumstantiae peccatum est ; sed peccati diminutio. Unde nec notitia ejus per se conduceit ad medicinam & curationem conscientiae , quia quod excusat & alleviat , per se loquendo curatione & pœna non eget. Et quamvis judex maiorem fortè concipiatur gravitatem , nullum hinc grave incommodum sequitur in hoc judicio , & si quod sequitur , totum cedit in gravamen pœnitentis , qui potest cedere juri suo , eritque ei utile ad pleniorum satisfactionem. Per accidens tamen non est inconveniens , quod quis aliquando confiteri debeat circumstantiam alleviantem , quando videlicet illa conduceat ad veritatem culpæ cognoscendam , ne erretur in veritate confessio- nis , aut adhibenda medicina.

## §. II.

### R E U S C I T A T U S .

### C O R A M H O C S A C R O T R I B U N A L I .

I. **R**eus in hoc Sacramentali judicio est omnis & solus homo baptizatus , qui conscientiam habet alicujus peccati mortalis post baptismum commissi. Citatur autem ad sacrum hoc tribunal jure Divino Joannis 20. cùm Christus à mortuis excitatus , infusflavit in Discipulos , dicens : *accipite Spiritum Sanctum ; quorum remis- ritur peccata , remittuntur eis : & quorum retinue- ritur , retenta sunt.* Hoc ipso enim , quo Apostolis , eorumque legitimis successoribus tribuitur judiciaria remittendorum , retinendorumque peccatorum potestas , sufficienter peccator , mortalis sibi criminis post baptismum conscius , hac legis necessitate citatur , & comparere compellitur , si justificari velit , & remissionem peccatorum acci- pere ,

pere, quantumcumque etiam sibi contritus videatur, & sit. Sicut enim contritionis vis & efficacia quantaquanta sit, necessitatem baptismi non excludit, ita nec Sacramenti pœnitentiae saluberrimam medicinam in re vel in voto susceptam eliminat.

2. Quid igitur, si aliquis de peccato mortali contritus, suâ culpâ non confessus, moritur? R. certissimè damnabitur, quantumvis contritionem habuisset, qualem vel Magdalena habuit, vel D. Petrus, non quidem ratione peccatorum, de quibus corde contritus est (utpote quæ contritionis vi fuerunt remissa) sed ratione peccati mortalis de novo commissi, ex eo quod (ubi potuit) dicta peccata clavibus Ecclesiæ non subjecit. Unde quæ per contritionem remittuntur peccata, non ita remissa sunt, quin adhuc obligatio maneat, illa ad judicium Sacerdotale, & hoc Sacramentalे tribunal deferendi. Nemo igitur sibi dicat: occultè ago pœnitentiam, apud Deum ago, novit Deus, qui mihi ignoscit, quia in corde ago. Ergo sine causa dictum est: quæ solveritis in terra, solvatur erunt & in cœlo? Ergo sine causa sunt claves datæ Ecclesiæ Dei, frustramus Evangelium Dei, frustramus verba Christi, promittimus vobis, quod ille negat? Ita Augustinus ad quosdam sui ævi Fide-

les (& utinam hoc nostro saeculo non inveniantur similes) qui sufficere sibi ad salutem autumant, infirm.c.4 si soli Deo, cui nihil occultum est, quem nullius latet conscientia, sua confiteantur crimina... sed nolo ut ipsa decipiaris opinione, quatenus confundaris confiteri coram Domini Vicario, tabescens præ rubore, vel cervicosus præ indignatione. Nam ipsius humiliter subeundum est judicium, quem Dominus sibi non deditur Vicarium.

3. Ex vi prædictæ citationis comparere non debet ad hoc tribunal, qui solis venialibus est obstrictus. Neque enim illa Salvatoris sententia Joan. 20. eodem prorsù modo de mortalibus, ac de venialibus est intelligenda, sed diversimodè

applicanda est juxta materiam subjectam. Et ea-  
propter esto ex priori membro , quorum remise-  
ritis peccata , remittuntur eis , recte inferatur po-  
testas etiam remittendi venialia , perperam tamen  
ex posteriori membro , quorum retinueritis , &c.  
colligitur potestas ea remittendi. Congruum quip-  
pe est , potestatem , quæ vice Dei graves remittit  
offensas , ad leves quoque noxas remittendas ex-  
tendere ( quippe qui concedit quod majus est ,  
concedit & minus ) non tamen congruum fuit ,  
ut gravia crimina , ita & levia retinere delicta.

4. Quid igitur de illo , qui ab ultima ante tri-  
mestre confessione nullius sibi conscientia mortalis  
noxæ , nollet morti proximus confiteri venialia ,  
quia non deprehendit in conscientia ullum grave  
peccatum : aut triduo dumtaxat , vel quatriduo  
ante , nîl de morte cogitans , fuisset confessus ,  
diceretque se ex eo tempore ab omni gravi cri-  
mine sibi per Dei gratiam diligenter cavisse ? R.  
equidem desistendum non est , quo usque cum vo-  
luntate percipiendæ absolutionis sua venialia  
aperiat , tûm ad indirectam remissionem morta-  
lis , si quod fortè in animo lateret , tûm ob gra-  
tiam Sacramentalem , & venialium à consecu-  
tione gloriæ retardantium remissionem : tûm de-  
nique ad satisfaciendum piæ fidelium consuetu-  
dini , & singulariter in primo casu ad evitanda  
etiam scandala , & domesticorum sàpè tristitiam ,  
timoremque .

5. Jure Divino sicut obligatur peccator ali-  
quando in gratiam redire cum Deo , ita & subinde  
ante hoc tribunal reum se sistere. Illius tamen  
obligationis non est tempus aliquod determina-  
tum. Dicunt quidem aliqui , reum in hoc judi-  
cio primâ à peccato commisso opportunitate ex  
vi citationis divinæ teneri comparere , nec obstat  
quod Ecclesia divinum determinans præceptum S. Thom.  
terminum præfigat , ut semel in anno confiteatur : in Suppl.  
quia Ecclesia , inquit , non indulget dilationi , q. 6. a. 5.  
sed prohibet negligentiam in majori dilatatione. Unde in corp.

per

per Decretalem illam non excusatur à culpa dilationis... sed excusatur à pœna quantum ad forum Ecclesiæ, ut non privetur debitâ sepulturâ, si morte præventus fuerit ante tempus illud. Sed hoc videatur nimis durum D. Thomæ, & nobis: quia præcepta affirmativa non obligant ad statim, sed ad tempus determinatum; non quidem ex hac, quod tunc commodè impleri possunt, (alioquin) si non daret aliquis eleemosynam de superfluo, quandocumque pauper monstraretur, peccaret mortaliter, quod falsum est, sed ex hoc quod tempus necessitatem urgentem adducit. Et ideo non oportet, quod si statim oblata opportunitate non confiteatur, etiam si major opportunitas non expectetur, aliquis peccet mortaliter: sed quando ex articulo temporis necessitas confessionis inducitur. Nec hoc est ex indulgentia Ecclesiæ, quo non teneatur ad statim, sed ex natura præcepti affirmativi: unde ante Ecclesiæ statutum, etiam minus tenebatur. Nec hinc distinguendum est inter Religiosos & sæculares; ut quidam volunt: quia Religiosi non tenentur ad alia, quam cæteri homines, nisi ad quæ ex voto se obligaverunt, cujusmodi non est confessio. Tempus igitur comparisonis ad hoc tribunal determinandum est ex aliis legibus, vel circumstantiis, quibus vel sub peccato, vel ex necessitate salutis tenetur homo esse in gratia. Tria vero determinari possunt tempora. Primum est in articulo mortis, quo nomine intelligitur tum strictè dictus mortis articulus, seu tempus & status, quo mors proximè instat, estque moraliter certa, & ferè inevitabilis; tum latè dictus, scilicet periculum mortis probabile, seu status & occasio, in qua spectatà rerum naturâ, sive ab intrinseco, sive ab extrinseco mors prudenter, timeri potest, & debet: V. G. instantे conflictu navigacione periculosa, partu diffcili, qualis censetur esse, dum mulier delicata primùm parit Hoc siquidem periculum, simul est numquam confitendi periculum. Eapropter Medicis præcipitur

pitur cap. cum infirmitas de pœn. & remiss. us  
cum eos ad infirmos periculosè laborantes vocari  
contigerit, ipsos ante omnia moneant, atque in-  
ducant, ut medicos advocent animarum. Quod  
anno 1566. motu proprio, qui incipit super gre-  
gem, innovavit S. Pius V jussitque doctorandis,  
ut jurent se ita facturos. Quod præceptum intel-  
ligitur, quamprimum prudenter advertit adesse  
periculum: in quo constitutus infirmus ocyùs  
Confessarium vocari jubeat, & ille vocatus ve-  
nire non tardet, ambo alioquin graviter facilè  
peccaturi. Sæpè tamen à peccato excusantur in-  
firmi ex eo, quod suum periculum non appre-  
hendant, prout in laborantibus hisi frequenter  
accidit. Non ita facilè excusarim amicos illos  
minimè amicos, qui scientes præsens periculum  
mortis, priùs Notarium pro conficiendo testa-  
mento, quām pro administrando infirmo Paro-  
chum accersunt, magis pro se, quam de salute  
infirmi turpiter & minùs Christianè solliciti.

6. Ex dictis sequitur, infirmum, qui perse-  
verans in mortis periculo, post confessionem  
factam in peccatum mortale iterū labitur, te-  
neri iterū confiteri. Prout etiam obligatur ille,  
qui nunc copiam Confessarii habet, quam pro-  
babiliter timet pro illo articulo se non habiturum.  
Non existimo tamen hujus præcepti obligatio-  
nem urgere, quoties morale est periculum obli-  
visciendi peccatorum, nisi quis ea statim confi-  
teatur. Constat enim, nihil aliud in Ecclesia à Concil.  
pœnitentibus exigi, quām ut postquam quisque dili- Trid. Sest  
gentius se excusserit, & conscientiae sue finis om- 14. cap. 5.  
nes & latebras exploraverit, ea peccata confitea-  
tur, quibus se Dominum Deum suum mortaliter  
offendisse meminerit. Et verò extraordinarium esset  
onus, cum multi labilissimæ memoriæ, toties  
quoties peccant, obligari confiteri, quod sine  
sufficienti fundamento imponendum non est.

7. Secundum tempus comparitionis rei ante  
hoc sacrum tribunal est, quando suscipiendum  
est

est Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum.  
 Quippe ne tanum Sacramentum indignè , atque  
 ideo in mortem & condemnationem sumatur , sta-  
 tuit atque declarat ... Sancta Synodus Tridentina ,  
**Sess. 13.** illis , quos conscientia peccati mortalis gravat ,  
**Can. 11.** quantumcumque etiam se contritos exigitur , ha-  
 bita copia Confessoris , necessario præmittendam esse  
 confessionem Sacramentalem Sed illane etiam  
 requiritur , ut alia Sacraenta vivorum  
 fructuosè quis suscipiat , aut licetè administret ?  
 Affirmant aliqui ; quia suscipiens quodcumque  
 Sacramentum vivorum , & quodcumque ex officio  
 administrans etiam mortuorum , tenetur esse in  
 statu gratiæ , & actus contritionis sine Sacramen-  
 to justificans est admodum arduus , ut , teste  
 Cathechismo Romano , paucissimis hâc viâ pecca-  
**part. 2.** torum venia speranda sit : proinde habens in casu  
**caput 5.** copiam Confessoris , tenetur præmittere confes-  
**num. 37.** sionem , & ita se disponere securiori modo ad san-  
 cta sanctè tractandum ac administrandum . Nos  
 verò eam viam ut securiorem omnibus quidem in  
 praxi consulimus , sed ut necessariam nequaquam  
 requirimus , existimantes Sacraenta quæcum-  
 que dignè satis , ac reverenter administrari , si  
 minister hoc Ritualis Romani (jussu Pauli V. editi)  
 observet præscriptum : Sacerdos , si fuerit peccati  
 mortalis sibi conscientius ( quod absit ) ad Sacra-  
 torum administrationem non audeat accedere , nisi  
 prius corde pœniteat . Sed si habeat copiam Con-  
 fessarii , & temporis locique ratio ferat , CONVE-  
 NIT confiteri , non tamen necesse est . Quod  
 idem statuimus pro quæcumque recipiente alia ,  
 ( præterquam Eucharistiae ) vivorum Sacraenta ;  
 cum pro his suscipiendis nullum extet confitendi  
 præceptum . Obligat quidem Religionis virtus ad  
 dignè Sacraenta quæ recipienda , quæ admini-  
 stranda , sed ad hoc non requiritur prævia con-  
 fessio , at sufficit existimata contritio : non quod  
 nostra estimatio aliquid ad sanctitatem conferat ,  
 si vera contritio non sit , sed quia ad dignam  
 Sacra

Sacramentorum administrationem , suscep-  
tione amplius non requiritur , quam cordis  
verè contriti moralis aestimatio. Hæc autem planè  
possibilis est. Scit enim unusquisque , ob quod  
motivum de peccatis doleat : nec deest gratia ,  
quâ vera contritio in casu possibilis sit etiam mo-  
raliter , cum Deus de lege ordinariâ gratiam non  
deneget ad actus supernaturales , maximè quando  
juri naturali vel divino præcipiuntur. Proinde  
viâ ordinariâ qui facit quod in se est ex viribus  
gratiæ ad eliciendum contritionis actum , satis  
cerò judicare potest se verè contritum. Porro  
quod Catechismus Rom. ait , paucissimis viâ  
contritionis extra pœnitentiæ Sacramentum pec-  
catorum veniam esse sperandam , vel per exag-  
erationem dictum est , vel certe de venia &  
remissione peccatorum plena & perfecta intelligi  
oportet , tam quoad culpam , quam quoad om-  
nem pœnam. Ait enim , contritionem illam adeò  
vehementem , acrem , intensam esse oportere , ut  
doloris acerbitas cum scelerum magnitudine æquari ,  
conferrique possit , ad quem gradum pauci admo-  
dùm perveniunt. Hæc autem contritio nedùm  
omnem culpam diluit , sed omnem etiam debi-  
tam peccatis pœnam remittit. Talis autem ad  
justificationem non requiritur. Sufficit alia minus  
intensa , nec tam difficilis & ardua. Alioquin  
quid faciet minister peccati mortalis sibi conscius ,  
si subito vocetur ad moribundum , ut ei extrema  
Sacramento administret ? Non administrabit ?  
Charitas proximi non erit in illo. Administrabit ?  
Erit sacrilegus , utpote indignè & irreligiosè  
tractans Sacra menta. Neque enim judicare pru-  
denter poterit se esse in gratia , si ( ut volunt  
Contrarii ) ad peccatorum remissionem adeò  
vehemens , acris , & intensa requiratur contritio ,  
ut pauci admodùm ad hunc gradum perveniant ,  
& paucissimis hac viâ speranda sit venia. Quis  
enim talem , ac tantam contritionem prudenter  
sibi polliceri audeat , imò verò quis possit , nisi

præsumptuosè nimis , & nimis præsidenter ?  
 Fallor , vel hac instantiâ ruit oppositæ sententiæ  
 murus & antemurale : nisi fortè eò recurras ,  
 quod ratione necessitatis cesseret irreverentia , quæ  
 alioquin fieret ; quod generaliter in omnium  
 Sacramentorum administratione non admittit  
 Docto[r] Angelicus , nec nos admittendum pu-  
 tamus extra casum , quo puer in periculo mor-  
 tis existens offertur ministro peccatori sine so-  
 3.p.q.64. lemitate baptizandus . Tunc enim non exhiberet  
 a. 6.ad. 3. se ministrum Ecclesiæ , sed subveniret necessitatem  
 patienti .

8. Tertium tempus comparitionis rei ante hoc  
 tribunal est , quando lege aliquâ positivâ urgetur:  
 qualiter in Concilio Lateranensi sub Innocentio  
 III præcipitur , ut *omnis utriusque sexus fidelis* ,  
*postquam ad annos discretionis pervenerit , omnia*  
*sua solus peccata confiteatur fideliter , saltu semel*  
*in anno proprio Sacerdoti* . Per annos discretionis  
 eam ætatem intellige , in qua est sufficiens ratio-  
 nis usus ad peccandum mortaliter . Unde ab hujus  
 præcepti obligatione nulla ætas , etiam impube-  
 rum , excipitur , si in peccatum mortale lapsi  
 sint , licet pœnas contra prævaricantes statutas  
 probabiliter impuberes non incurvant . *In pueris*  
*enim relinquunt inultum , quod in aliis proiectio-*  
*nris ætatis humanæ leges dicunt severius corrigen-*  
*dum cap. referente de diliç. pueror.* Suam tamen  
 opposita sententia probabilitatem habet ; nam  
 ex ingressu in monasteria Monialium etiam im-  
 Concil. puberes excommunicationem contrahunt . Sicut  
 Trid. Sess. autem judicium rationis in aliis citius , in aliis  
 25. cap. 5. tardius incipit , ita & in quibusdam rebus priùs  
 obvenit , quam in aliis . Ideoque non statim ,  
 ubi admittuntur ad confessionem , admittendi  
 sunt etiam ad communionem , etiamsi utrum-  
 que præceptum omnes obliget , qui ad annos  
 discretionis pervenerunt : quia priùs habent ju-  
 dicium discernendi bonum à malo , quam cibum  
 sacrum à profano , & quam dignè possint tantum  
 æsti-

æstimare Sacramentum , in eoque latenter dicitatem apprehendere. Porro de pueris ac pueris confitentibus , utrum absolutionis capaces sint , judicare debet Confessarius non ex sola aetate (num scilicet septennium expleverint , quando regulariter de rationis usu presumi solet) sed magis ex ingenii & educationis qualitate , quia multi post eam aetatem , alii vero ante , rationis discretionem consequuntur , ut non solum venialiter , sed etiam mortaliter peccent. Cujus rei exemplum habemus apud S. Gregorium lib. 4 Dialog. cap. 18. de puer quinquenni in blasphemis moriente , & damnato. Et Johannes Gerson Cancellarius Parisiensis lib. de arte audiendi confessiones ait , experientiam se dedicisse , ejusmodi aetatis pueros peccatis carnalibus fuisse coquinatos , ut de iis cum Augustino saepè dicere liceat : tantillus puer , & tantus peccator. Placet hic nobis Teretii regula : si parentes , aut Pastores viderint pueros discernere bonum & malum , pudefieri de mendacio , de aliqua impudicitia commissa , laudare obedientiam : concludent illos ratione uti , quemcumque annum aetatis attigerint. Sed jam rationis compotes reperti , & peccatis non dubiis obnoxii , quo pacto tractandi? Hæc multorum Confessorum crux , & praesertim initio administrationis suæ. Verum , inquit quidam\* Eximiae doctrinæ , & multæ experientiae vir , nos illa torquere desit , ex quo longiore talium praxi edocitis subiit , puerilia vitia viri aet conel lem paenitentiam non requirere , sed tantum aetatuæ , motivisque illi accommodis correspondentem. Subjungit autem : idem , puto , aliis id considerantibus accidet , nec cruciabunt miserè pusillos istos , ac seipso. Verum enim vero etsi ratio illa utcumque securum reddere possit Confessarium de pueris ac pueris benè instructis , ac pie probeque educatis : sunt tamen multi adeò à natura vagi , immorigerati , & male enutriti , ut licet satis doli capaces fuerint ad peccandum , non

\*D. Stey-  
 aert conel  
 Theolog-  
 practica  
 XLII.

tamen sint satis dispositi , nec tam brevi tempore disponi satis possint ad ritè Sacramentum pœnitentiæ suscipiendum. Unde videmus plures inter confitentes unum digitis fricare cratem interjectam inter ipsos & Confessarium , nugari circa suum Rosarium & pileum , vultum etiam & oculos ridendo vertere versus alios pueros adgeniculantes : quæ actiones planè pueriles jundatæ tali ætati & subjecto satis indicant tales rationem Sacramenti non satis apprehendere , esto peccatum cognoscant. Atque hinc meritò subinde angitur Confessarius , hinc saepius videns absolutionis necessitatem ob peccatum mortale , in quod puer prolapsus est , inde verò in puero absolutionis incapacitatem defectu judicii requisiti ad concipiendum serium dolorem , ac detestationem peccati , & siem supernaturalem eliciendam. Quid igitur hinc agat Confessarius dum omnibus consideratis deprehendit puerum verè , & libertatem peccasse mortaliter ? Expendat oportet , quo motivo de peccatis doleat , nùm merè humano , quia V. G. à patre vapulabit , an verò supernaturali per fidem cognito , puta quia peccatum Deo contrarium est , pœnas gehennæ meretur , vel à regno cælorum excludit. Et siquidem talem pro tunc eliciendi verum dolorem certò moraliter videatur incapax , dimittendus erit sine absolutione : attamen benignè alliciendus , ut brevi revertatur , magis instruendus in necessariis , ut sic majorem dispositionem & præparationem afferat , ob iteratam confessionem. Si verò omnibus expensis de pueri capacitatem dubium maneat , absolvendus erit sub conditione , saltem in mortis articulo. Nam tali præsertim necessitatis casu , *in dubio inclinandum est in favorem animæ.* Imò verò quidnî etiam extra mortis articulum , esto solùm venialia confiteatur ? Neque enim Confessarius ullam irrogabit injuriam Sacramento , illud sub conditione conferendo ; & non conferendo , fortè dispositum privabit gratiâ

Sacra-

Sacramento , & à mortali , occulto , si quod habet , inabsolutum dimittet . Non tamen in hoc casu sit nimiùm etiam sub conditione in absol- vendo facilis , nisi verè probabilia serii doloris signa videat . Omnes tamen , quamvis nondùm absolutionis capaces , audiat , ut paulatim instruantur , & confessioni assuecant .

9. Per peccata in dicto capite *omnis utriusque sexus* intelliguntur mortalia nondùm confessa . Sicut enim præceptum Divinum est tantùm de confitendis mortalibus , iisque necdùm Ecclesiæ clavibus subjectis , ita etiam Ecclesiasticum , cùm sit tantùm determinatio Divini circa tempus , quo est implendum . Unde per se loquendo non obli- gantur hoc præcepto nisi illi , qui habent peccata mortalia . Quod patet tūm ex hoc quod dicit , quod S. Thom. debent omnia peccata confiteri , quod de venialibus in Suppl. intelligi non potest : siquidem hæc omnia fateri q. 6. a. 3. multis planè impossibile est , longè certè difficil- limum ; tum etiam ex gravissima pœna , quam subjungit ; alioquin & vivens arceatur Ecclesiæ ingressu , & mortuus Ecclesiasticâ careat sepulturâ . Dixi autem per se loquendo , quia praxis Ecclesiæ est , ut omnes confiteantur ad vitandum scanda- lum , quod ex confessionis omissione oriri posset , præsertim in locis , in quibus omnes non confessi ad Episcopum in scriptis deferuntur . Et ita intelligi oportet , quod ait S. Thom. ex vi Sacramenti non tenetur aliquis venialia confiteri , sed ex institutione Ecclesiæ , quando non habet alia quæ confiteatur . Per accidens scilicet , & ad evitandum scanda- lum . Sufficit tamen in illo casu ad præceptum Ecclesiæ implendum , ut se Sacerdoti repræsen- tet , & se ostendat absque conscientia mortalis esse , quod ei pro confessione reputatur . Licet enim favor clavium extendatur ad venialia , ut per eas remitti possint , non tamen extenditur rigor earum per se , ut absolutè retineri valeant , sed solùm secundùm quid , scilicet quoad hoc , ut non dimittantur Sacramentaliter , non autem ut

necessariò subjicienda sint huic foro. Non satis-  
facit ergò huic præcepto, qui tantùm confitetur  
venialia , cùm non ponat quod præceptum est.  
Unde qui venialia tantùm confessus est , tenere-  
tur isto anno iterùm confiteri , si in mortale incide-  
ret : quamquam eam confessionem autumet non-  
nemo ab Ecclesia in solutionem acceptari , sicut  
lectio vespertina horarum matutinarum pro die  
sequenti acceptatur , licet tempus præcepti non-  
dùm incœperit . Quod quidam non improbat  
existimant , quando confessio facta est in Pascha-  
te , eoquod fidelibus quomodocumque in Pascha-  
te confessis non videatur umquam postea moveri  
conscientia de instituenda intra annum novæ  
confessione , licet postea mortaliter peccent . Sed  
hoc vel in negligentiam aut ignorantiam refe-  
rendum est , vel certè quod computetur annus ,  
ut in Paschate incipiat , & terminetur.

10 Etsi qui solùm venialia habet , non tenea-  
tur quotan*ti* ex Ecclesiæ præcepto confiteri ,  
quidn*ti* tamen propter utilitatem hu*sus* Sacramenti  
& Divinum cultum posset Ecclesia , etiam sub  
mortali , omnes ad confessionem annuam com-  
pellere , subindeque indirectè & consequenter , si  
alia peccata deessent , etiam ad confessionem ve-  
nialium ? Non tamen tunc faceret materiam ne-  
cessariam confessionis ex non necessaria ; siqui-  
dem non impediret , quod minus venialia aliis  
remediis remitti possent , quām per absolutionem ;  
sed solūn præcipere , quod in confessione quæ-  
dam essent aperienda , sicut per Clementinam *ne*  
*in agro Dominico §. sanè de statu Monach.* Be-  
nedittinis præcipitur , ut singulis mensibus , tam in  
monasteriis , quām extra .... ad confessionem saltem  
semel accedant omnes & singuli . Quod etiam si  
Graffius & alii de mortalibus intelligent , sicut  
caput *omnis utriusque sexus* ; tamen de venialibus  
quoque intelligendum esse magis consonum est  
intentioni Pontificis . Non enim verosimile est ,  
quod præsumpsit Pontifex Religiosos omnes  
singu-

singulis mensibus mortaliter peccaturos. Præterquam quod hac Constitutione illam Religionem reformare intenderit: non esset autem reformatio, sed potius relaxatio, si tantum post mortale admissum, & singulis dumtaxat mensibus ad confessionem obligarentur. Et verò si ad hujusmodi opera pœnitentiæ vel Religionis proprio quisque voto ac consensu obligare se potest, cur non etiam ab Ordinum Prælatis aut Generali Capitulo eâ de re fieri possit constitutio? Admittenda tamen non est doctrina aliquorum, quod obligatus ratione statuti seu generalis, seu particula-  
ris ad confitendum, si mortalia non habeat, satisfaciat generatim confitendo venialia, dicen-  
do videlicet se esse peccatorem, & in multis  
saltē venialiter delinquisse. Huic enim doctrinæ  
communis Confessoriorum praxis repugnat, qui  
extra easum extremæ necessitatis Sacramentalem  
absolutionem pœnitenti non conferunt, nisi is  
certum aliquid seu mortale, seu veniale pecca-  
tum confessus sit. Enim verò cùm Pœnitentiæ  
Sacramentum per motum judicialis absolutionis  
conferatur, conveniens omnino est, & Sacra-  
menti hujus institutio postulat, ut afferatur ma-  
teria certa, quod absolutionis iudicium magis  
determinate ferri possit, accedente præsertim  
Ecclesiæ praxi, atque consensu. Quare etsi ali-  
quis ad confitendum venialia nullâ lege obliga-  
tus sit, posso tamen quod Sacramentaliter con-  
fiteri & absolvī velit, debet aliquid peccatum  
in specie explicare. *Aliquod*, inquam, seu unum  
sit, seu plura. Neque enim necesse est omnia  
venialia secundum speciem & numerum sollicite  
ad confessionem instituendam colligere; sed  
hoc optimum consilium iis, qui a mortalibus  
abstinent, ut ea venialia, quæ animos ipsorum  
magis gravant, & à quibus liberari desiderant,  
novo concepto dolore, & emendationis propo-  
sito, cum humilitate aperiant.

II. Quia Ecclesiæ laudabili statuto in citato  
jam

jam famoso capitulo juris *omnis utriusque sexus* confessio simpliciter præcipitur facienda semel in anno , communio autem determinatur ad tempus Paschæ : hinc duo communiter colligunt Doctores. Primum ( quod ad præsum scire multum interest ) esse hæc duo præcepta distincta. Proinde qui nondum præcepto communionis obligatur , peccavit tamen mortaliter , ad annum nihilominus confessionem tenetur , quam simul & communionem omittens , duo peccata committit , utrumque tamquam distinctum in confessione aperiendum. Alterum , confessionis præceptum obligare semel in anno , sed pro nulla parte determinata ; sicut præceptum audiendi Missam die festo obligat , non tamen pro certa hora. Meritò tamen Pastores tempore Paschali à Iuis Parochianis exigunt confessionis testimonium : quia hoc tempus , aut Quadragesimale illi vicinum maximè aptum est ad præceptum confessionis annuæ implendum. Unde jam in universa Ecclesia cum ingenti animarum fidelium fructu observatur mos ille salutaris confitendi sacro illo , & maximè acceptabili tempore Quadragesimæ. Quem morem . S. Synodus Tridentina maxime probat , & amplectitur tamquam pium , & meritò retinendum.

**Concil.**

**Trid. sess.**

**14. cap. 5.**

12. Porrò quod dicimus præceptum confessionis pro nulla determinata anni parte obligare , intelligendum est per se , quia fieri potest , ut in Quadragesima obliget per accidens , scilicet si antea impletum non sit. Qualiter autem computandus sit annus , non una est omnium sententia. Volunt aliqui hunc annum non habere eosdem terminos respectu omnium fidelium , sed annum ab ultima confessione quovis tempore factâ esse computandum. Sed hoc rationi non admodum consonat. Siquidem sic Ecclesiæ satis constare non posset de executione vel transgressione huius præcepti. Unde alii probabilius computant à Januario in Januarium , quia hic annus vul-

vulgaris est , & maximè semper æqualis. Nos  
verò computandum putamus à Paschate in Pa-  
scha , comprehendendo omnes illos dies , quibus  
præceptum communionis impleri potest. Ita  
enim habet usus & praxis fidelium , quæ legem  
interpretari solet. Et Episcopi nullos non con-  
fessos excommunicare solent , donec tempus  
Paschale transierit , licet illud in mensem supe-  
riorem & altiorem incidat anno subsequenti ,  
quam præcedenti. Signum satis evidens , sic  
more Ecclesiastico annum esse computandum.  
Nec refert , quod aliter computemus annum  
usualem : hic enim annus est Ecclesiasticus qui  
propter alios effectus potest aliter computari ,  
non physicè per tot menses & dies , sed more  
Ecclesiastico à Paschate in Pascha. Quod tempus  
quia mobile est , & habet aliquam latitudinem ,  
potuerunt nonnumquam inter unam & alteram  
confessionem intercedere tredecim menses , in-  
terdùm verò undecim tantùm , quod Ecclesiæ  
consuetudo satis significat.

13 Qui ante finem anni non satisfecit , sequen-  
tis initio confiteri debet , alias peccatum conti-  
nuaturus. Satis enim Lateranense & \* Tridentinum Concilia hoc ipso , quo dicunt quod sal- \*Sess. 14.  
tem in anno præceptum Christi sit adimplendum , cap 5.  
indicant assignare se terminum illum non ad  
finiendum obligationem , sed ad amplius soli-  
citandum Quid enim est , *saltem semel in anno*  
*peccata sua confiteatur* , quam ne differat ultra  
annum ? Nonne præscribit frequentiam servan-  
dam in usu hujus Sacramenti ? Igitur quò magis  
ejus impletio differtur , eò magis urget præcep-  
tum. Satisfacit tamen tum confitens , etiam pro  
anno sequenti , ne aliàs , si forè intra decen-  
nium confessus non sit , intra annum decies con-  
fiteri debeat , si post singulas confessiones iterùm  
mortale admittat. Sed quid si aliquis legitimè  
confessus , invincibiliter oblitus fuerit alicujus  
peccati mortalis ? Non amplius illo anno con-  
fiteri

fiteri tenetur ; nisi communicare debuerit , aut voluerit : quia jam satisfecit Ecclesiæ præcepto. Prævidens tamen se tempore debito non habitum Confessorem , tenetur tempus prævenire. Siquidem Ecclesia præscripsit tempus annum , ne ulterius differatur , obligans unumquemque , ut intra annum confiteatur. Licet ergo nemo obligetur simpliciter prima anti parte confiteri , obligatur tamen , cum scit se non posse confiteri posteriori : sicut tenemur prima parte diei festi audire Missam si desperemus postea audire nos posse. Aliud est de lectione horarum pridiè facienda , quia hoc est privilegii , quo nemo uti tenetur , nisi forte impedimentum postridiè futurum sit voluntarium. Tunc enim etiam tempus prævenire obligaretur , in causa horas omissuras. Aliud quoque est de obligationibus jejunii & Sacri , quæ sicut ante præfixos dies non inchoantur , ita cum eisdem expirant ; ut proinde illis satisfieri non possit præveniendo taxatos dies , vel sequendo.

14. Justissimè inter propositiones ab Alexander VII. proscriptas continetur hæc : qui facit confessionem voluntariè nullam , satisfacit præcepto Ecclesiæ. Præceptum enim Ecclesiæ est , ut omnis utriusque sexus fidelis omnia sua peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur , & injunctam sibi pœnitentiam propriis viribus studeat adimplere. Qui vero scienter , & malitiosè confessionem invalidam instituit , non censetur fideliter confiteri , & si invalidum fuerit Sacramentum , ad injunctam pœnitentiam non tenetur. Nequit ergo præceptum impleri per confessionem quomodocumque invalidam. Adde præceptum Ecclesiæ supponere præceptum Divinum , & tandem determinare tempus , quo impleri debeat.

Concil. Neque enim per Lateranense Concilium Ecclesia Trid. sess. statuit , ut fideles confiterentur ( quod jure Divino 54. cap. 5. necessarium , & institutum esse intellexerat ) sed ut præceptum confessionis saltem semel in anno ab omni-

onibus & singulis , cum ad annos discretionis pervenissent , impleretur. Jure autem Divino ut confessio vera Sacramentalis fiat , fieri debet in ordine ad validam absolutionem obtinendam. Unde qui invalidè intra annum confessus est , si tempus adhuc suppetat , solum peccabit peccato sacrilegii , ob violationem Sacramenti , cum reliquo tempore præcepto Ecclesiastico possit satisfacere. Si vero reliquo tempore confiteri omissit , tum primùm hujus præcepti transgressor fiet.

15. Sufficit ad hoc præceptum implendum confessio materialiter defectuosa , si sit formaliter integra , cum una tantum per annum præcepta sit. Unde qui adhibitâ sufficienti diligentia constitetur mortalia , quorum recordatur , si post confessionem aliud mortale memorie occurrat , potest illius confessionem differre usque ad annum sequentem : nisi prius ratione periculi mortis , aut Eucharistiæ suscipienda confiteri oporteat. Idem dicendum existimo , quando aliquis scienter tacuit aliquid mortale , sed ob justam causam. Sed quid si aliquis integrè confessus non absolvatur per malitiam , aut oblivionem Sacerdotis , vel ob defectum contritionis etiam invincibiliter ignoratum ? Non satisfacit præcepto , sicut præcepto communionis non satisfaceret , cui etiam nescienti Sacerdos hostiam portigeret non consecratam. Unde iterum illo anno confiteri obligatur , si ante finem illius noverit se non fuisse absolutum.

16. Satisfacit Ecclesiæ præcepto confitens Regularibus Privilegiatis , & juxta formam Concilii Tridentini per Episcopum approbatis , sive hoc faciat in Paschate , sive alio anni tempore. Ita habet communis & certa Doctorum sententia contra Joannem de Poliaco Doctorem Parisiensem , cuius in hac materia à Joanne XXII. in Extravaganti vas electionis damnati sunt errores sequentes , quos & Romæ revocare compulsus est. I. Quod confessi Fratribus habentibus licentiam

tiam generalem audiendi confessionem , tenentur eadem peccata , quæ fuerant confessi , iterum confiteri proprio Sacerdoti . 2. Quod stante statuto omnis utriusque sexus edito in Concilio Generali , Romanus Pontifex non potest facere , quod Parochiani non teneantur omnia peccata sua semel in anno proprio Sacerdoti confiteri , quem dicebat esse Parochialem Curatum ; imo nec Deus possit hoc facere , quia , ut dicebat , implicat contradictionem . 3. Quod Papa non potest dare generalem potestatem audiendi confessiones , imo nec Deus , quin confessus habenti generalem licentiam teneatur iterum confiteri proprio Sacerdoti . Videatur Cardinalis Noster de Turrecremata in Summa de Eccles . lib . 4 . par . 2 . cap . 37 . Fundatur autem communis sententia non solum in variis Pontificum privilegiis , de quibus statim , sed etiam in ratione manifesta . Siquidem Pontifex , ut per seipsum , ita per delegatos quoscumque ( quales sunt Regulares Privilegiati ) absolvere potest quoscumque fideles in tota Ecclesia . Et verò si Parochi tamquam Ordinarii possint alios loco suo substituere , qui in Paschate Parochianorum confessiones excipient , ut permittit caput *omnis utriusque sexus* , & habet recepta praxis , cur non & Pontifex ? Præsertim cum Ordinarii Pastores communiter pietati , ac devotioni fidelium satisfacere soli non possint . An quia præjudicium fieri et Parocco , si aliis confessionem sui subdit audiat ? Aut quia Pastor cognoscere debet vulnus pecoris sui ? Utrumque solutum habes à S. Th. in Suppl. q. 8. a. 5. ad. 1. Dicendum quod præjudicium non fit alicui , nisi ei subtrahatur quod est in favorem ejus indultum . Jurisdictionis autem potestas non est concessa alicui homini in suum favorem , sed in utilitatem plebis , & honorem Dei . Et ideo si Superioribus Prælatis expedire videatur ad salutem plebis , & honorem Dei promovendum , quod aliis , quæ sunt jurisdictionis , committant : in nullo fit præjudicium inferioribus Prælatis , nisi allis

illis, qui querunt, quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi, & qui gregi præsunt, non ut eum pascant, sed ut ab eo pascantur. Ecce solutione in primi. Videbis & secundi. Ad secundum dicendum quod Rector Ecclesiæ debet vultum pecoris sui agnoscere dupliciter. Uno modo per sollicitam exterioris conversationis considerationem, quâ invigilare debet super gregem sibi commissum. Et in hac cognitione non oportet quod credat subdito, sed certitudinem facti, in quantum potest, inquirat. Alio modo per confessionis manifestationem. Et quantum ad hanc cognitionem non potest majorem certitudinem accipere, quam ut subdito credat: quia hoc est ad subveniendum conscientiæ ipsius. Unde in foro confessionis creditur homini & pro se, & contra se: non autem in foro exterioris judicii. Et ideo ad hanc cognitionem sufficit, quod credat subdito dicenti se alteri absolvere valenti fuisse confessum. Et sic patet quod talis cognitio pecoris per privilegium alteri indultum de confessione audienda, non impeditur.

17. At, inquires, in Extravaganti Sixti IV. quæ incipit *vices de treuga & pace*, precipitur Religiosis Mendicantibus, ne deinceps in concionibus doceant, non obligari Parochianos ad confitenda Parocho sua peccata, saltem in Paschate. Et Martinus V. in Extravaganti, quæ incipit *ad uberes fructus*, ait: *volumus quod hi, qui confitentur Mendicantibus, confiteantur in Paschate semel in anno Sacerdotibus Parochialibus*. Sed hanc Extravagantem numquam fuisse usæ receptam testatur Vasquez. Ut ut sit, utraque abrogata est per sequentes Pontifices: ac nominatim per Leonem X. in Bulla, cuius initium est, *dum intra mentis arcana, ubi expressè dicitur, quod talibus Religiosis confitentes satisfaciant Constitutioni omnis utriusque sexus*. Et per Clementem VIII. in Bulla, quæ incipit, *significatum fuit nobis, quæ fuit edita anno 1592. ad finiendam controversiam Duaci excitatam à Pasto*

Pastoribus palam concionantibus non satisfieri dicto præcepto per confessionem factam Regulibus. Denique per Benedictum XI. Extravaganti inter cunctas de priveleg. ne sequatur absurdum , ut peccata semel remissa aliquis confiteri teneatur , & liberatus debitor iterum cogatur. His tamen privilegiis eâ modestiâ & charitate Regulares uti meminerint , ut fiœles non ad se alliant , sed ad Christum. Itaque ly proprio in cap. omnis utriusque sexus non opponitur communis , sed alieno. Alioquin enim non satisfaiceret confitens Episcopo suo , aut Summo Pontifici , quod falso est.

S. Thom. In eo , qui linguae usum non habet , sicut  
in Suppl. est mutus , sufficit , quod per scriptum , aut nutum  
confiteatur , & ad hoc ienctur , etiam ex vi præ-  
q. 9. a. 2. cepti Ecclesiastici. Siquidem quando non possumus  
ad 2. uno modo , debemus , secundum quod possumus ,  
confiteri alio modo non exposito periculis. Re-  
vera autem in modo confitendi per scripturam  
nihil , vel parum periculi est , quod non est in  
confessione per voces. Sed quid de modo con-  
fitendi per interpretem ? Nos sistendo præcisè  
in præcepto positivo confessionis , talem obliga-  
tionem non agnoscimus , quidquid h̄c distin-  
guendum putet Cardinalis Lugo inter præcep-  
tum Ecclesiasticum & Divinum. Non aliam  
enim confessionem præcipit Ecclesia , quam in  
qua pœnitens solus peccata proprio Sacerdoti con-  
fiteatur , adeoque aperiè excludit obligationem  
confitendi coram alio. Neque etiam alterius.  
quam secretæ confessionis , quæ fit apud solum  
Sacerdotem , Divinum præceptum admittit Con-  
cilium Tridentinum Sess. 4. cap. 5. ubi etiam do-  
cet , id , quod præcipit Christus , voluisse Ec-  
clesiam in Concilio Lateranensi singulis annis  
impleri. Sed Ecclesia non præcipit confessionem  
per interpretem , ergo nec Christus. Peccator  
tamen de vera contritione dubius tenetur in  
mortis articulo non solum per interpretem , sed  
etiam

etiam publicè , si aliter fieri non potest , confiteri sua peccata , non quidem ex præcepto positivo confessionis , seu Divino , seu Ecclesiastico , sed ex lege strictissima charitatis erga scriptum , ne se exponat periculo æternæ damnationis , quæ præ omnibus aliis incommodis vitanda est . Non tamen eo casu illum obligatum putamus ad confitendum publicè omnia sua peccata , sed sufficere , si confiteatur ea , quæ cum minori infamia possunt explicari . Solù n enim obligatur suscipere Sacramentum , & ejus effectum ; quem suscipere potest , quolibet peccato confessio , tametsi alia omissa , cum ad iustificationem sufficiat confessio formaliter integra , per quam cætera peccata indirectè remittuntur .

### §. III.

#### ACCUSATIO REI

#### CORAM HOC SACRO TRIBUNALI.

I. **Q**uoniam hoc Sacrum Tribunal non ad condemnationem Rei delictum confitentis , ejusque punitionem aut mortem , sed ad illius abolitionem & vitam à Christo institutum est , non mirum , si ipse hic sui sit accusator , & testis : in quo à judicio forensi hoc Tribunal distinguitur . Est autem accusator sui per confessionem , quæ non est aliud , quam legitima peccatorum suorum coram Sacerdote facta explicatio , in ordine ad eorum abolitionem per sententiam absolutionis obtinendam . Quoad modum confitendi Concil. secretò apud solum Sacerdotem , et si Christus non Trid. sess. vetuerit , quin aliquis in vindictam suorum scelerum , & sui humiliationem , cum ob aliorum exemplum , tum ob Ecclesiæ offendæ edificationem , delicta sua publicè confiteri possit : non est tamen hoc

Divino præcepta mandatum, nes satis consulte hu-  
manâ aliquâ lege præciperetur, ut deicta, præ-  
serim secreta, publicâ essent confessione aperienda.  
Unde cum à Sanctissimis & Aniquissimis Patri-  
bus secreta confessio Sacramentalis, quâ ab initio  
Ecclesia Sancta uia est, & modo etiam utilur,  
fuerit semper commendata; manifestè refellitur  
inanis eorum calumnia, qui eam à Divino man-  
dato alienam, & inventum humanum esse, atque à  
Patribus in Concilio Lateranensi congregatis ini-  
tium habuisse, docere non verentur. Ipsi etiam  
ratio evincit solam confessionem secretam fuisse à  
Christo præceptam. Quamvis enim plenitudo fidei  
vileatur esse laudabilis, quæ propter Dei timorem  
apud homines erubescere non veretur: tamen...  
non omnium ejusmodi sunt peccata, ut ea, quæ  
pœnitentiam poscunt, non timeant publicare. Ac  
proinde onus confitendi publicè peccata occulta  
fuisset intolerabile, & obnoxium pluribus sacri-  
legiis, ac complicum infamatiōibus absque  
necessitate.

2. Quamvis autem confessio publica sit abro-  
gata, ut ex contraria Ecclesiæ praxi patet, ac  
proinde non possit licet usurpari absque gravi  
causa & legitima facultate, nihilominus sic facta  
ex necessitate ad Sacramentum sufficit: quia  
ad valorem Sacramenti aliud nihil requiritur,  
quam ut peccata sua cum vero dolore, & emen-  
dationis proposito Sacerdoti ut judici quis mani-  
festet; quod tam fieri potest per confessionem pu-  
blicam, quam per secretam.

S. Thom. 3. Regulariter loquendo fieri debet oris locu-  
in Suppl. tione. Sicut enim in Baptismo ad significandam  
q. 9. a. 3. interiorem ablutionem assumitur illud elementum,  
in corp. cuius est maximus usus in abluendo: ita in actu  
Sacramenti confessionis, ad manifestandum ordi-  
natè assumitur ille actus, quo maximè consuevi-  
mus manifestare, scilicet proprium verbum. Unde  
Sacramentum hoc oris confessiōnem Concilium  
S. Th. ibid Florentinum recte appellavit. Sunt tamen & alii  
modi

modi inducti in supplementum illius, ut patet ex praxi Ecclesiæ absolvientis mutos, & moribundos, per sola signa, aut nutus confitentes. Proinde non est de essentia confessionis, ut voce fiat, sed potest etiam validè fieri gestu, nutu, aut scripto: cum per illa signa haberit possit sui ipsius vera accusatio. Qui tamen, cum possit voce, non vult confiteri nisi nutibus, aut scriptio Sacerdoti exhibito, regulariter peccat mortaliter, non servando communem Ecclesiæ utrum quoad convenientem modum administrandi Sacramentum, qui vim legis habet, nec hinc rationabili causa mutationem admittit. Hæc postea causa non solum est absoluta impotentia loendi voce, sed etiam magna loquendi difficultas ob nimiam verecundiam. In quo casu satisfacit, qui legenda peccata sua Confessario exhibit, si subiectat, *de his me accuso*, per quod virtuiter repetit omnia. Haud tamen de facili ob verecundiam permittendum est, ut quis scriptio confiteatur, cum illa ut plurimum non excusat, ne os loquatur Deo ad veniam, quod locutum est diabolo ad culpam.

4. Confessio præsenti facienda est ex præcepto Christi, qui peccatores *ante hoc tribunal tamquam reos sisisti voluit*, & \* *verecundâ confessione* Trid. cap. veniam petere: qua ratione melius valori confessionis, & periculo retractandi contritionem 2.\* cap. 5. consuluit. Unde Clemens VIII *hanc propositi nem, scilicet, LICERE PER LITTERAS, SEU in Decre- INTERNUNTIUM CONFESSARIO ABSENTI PEC- TO editio CATA SACRAMENTALITER CONFITERI, ET AB 20. Junii EODEM ABSENTE ABSOLUTIONEM OBTINERE,* 1602. *ad minus uti falsam, temerariam, & scandalo- losam damnavit, ac prohibuit, præcepitque ne deinceps ista propositio publicis, privatisque lectio- nibus, concionibus. & congressibus doceatur, neve umquam tamquam aliquo casu probabilis defendatu, imprimatur, aut ad proxim quovis modo deducatur. Ex quibus ultimis particulis manifestum*

est , quod Epistolarem confessionem factam absenti nedum ut illicitam , sed etiam ut invalidam proscripti Pontifex , quodque non solum vetuerit , ne factum liceat , sed etiam , ne factum teneat , declaraverit . Si enim confessio facta abenti per Epistolam , aut internuntium valida esset , esset etiam licita in aliquo casu , urgente minime extrema necessitate : quo casu propter periculum animæ irreparabile omnia justificatio- nis media , vel iolùm probabiliter valida , etiam sunt licita . Nec valet interpretatio P. Suarez , non damnasse Pontificem utramque partem dictæ propositionis divisim , sed conjunctim : quia

Paul V. in etiam mature discussis his , quæ P. Suarez ad Decreto auxit in defensionem suæ interpretationis . auditis , edito 10. votis Illusterrimorum Dominorum Cardinalium , Iunii Sanctissimus decretus , dictam interpretationem non subsistere , & ideo anovendam esse ab ejus libris .

Invalida igitur etiam est confessio , quæ si absenti , cap. QUEM ut postea vi illius à Sacerdote præsente absolutio pœnit. obtineatur . Præcipit enim Dominus mundandis , ut TET dist. ostenderent ora Sacerdotibus , dicentes corporali præ- x. de pœ- sentia confitenda peccata , non per nuntium , non per scriptum manifestanda . Nec obstat cap. qua- lis , 30. q. 5. ubi dicitur pœnitentia adulteræ per scripturam recipienda . Vel enim sensus est , quod pœnitentia adulteræ sit recipienda juxta Scriptu- ram Joan. 8. ubi legitur Christus non condem- nasse , quomodo capitulum hoc exponit Sylvius . Vel certè dicendum , ibi agi de pœnitentia pu- blica , de qua constat loqui Cyprianum lib. 3. epist. 13. dum significat se recepisse pœnitentiam aliquorum absentium per scripturam : cum ibi permittat , ut si urgente mortis periculo Pres- byter non habeatur , pœnitentes à Diacono re- concilientur à quo tamen certum est non po- tuisse eos Sacramentaliter reconciliari .

5. Fidelis debet esse confessio , id est , vera , sic ut mortaliter peccet negans mortale , quod hinc & nunc confiteri tenetur , aut falso mortale unum

unum subjiciens, utpote æquitatem judicij punitive in re gravi pervertens. Et sanè alias sine puto examine subjici posset numerus peccatorum maximus, qui admissum certò includeret. Mortaliter quoque delinquit, qui tantum confitetur veniale unum, quod non admisit, Sacramentum à ministro intentum invalidans, cum, ubi non est vera confessio, non sit vera absolutio; venialiter autem, qui veris, de quibus, dolet, unum falso subiectit, cum in re tantum levi judicium variet, valori Sacramenti non officiens. Notandum hic, quod mendacium, quod committitur contra substantiam Sacramenti, hoc est, quo Sacramentum redditum irruit, semper contineat duplē malitiam, alteram sacrilegii adversus religionem, alteram adversus veracitatem, & quandoque etiam adversus legem de se non infamando indebitè.

6. Distincta mortalium confessio quoad speciem & numerum, tūm ut erubescat Reusum ut judex criminis, siue sint fori, dignoscatur debiteque puniat, ex Divino præcepto est necessaria: non requiritur tamen ad Sacramenti valorem. Quare in necessitate, in qua plus ab homine haberi non potest, sufficit confusa, ex qua cognoscatur absolutionis desiderium. Talis est in moribundo Catholico signum contritionis, licet ad Sacerdotem specialiter & expressè non dirigatur; cum semper ad eum censendum sit generaliter & implicitè dirigi: in peccatore quidem, eo quod contrito votum sui adimplendi præcepta omnia, adeoque etiam præceptum absolutionem accipiendi; in justo vero ex præsumptione, eo quod omnes fideles accipere absolutionem in fine vitæ desiderent, nisi paulo ante acceperint. Sed numquid pro conditionata absolutione sufficit vita moribundi Christianè acta? Dicam quæ censeo.

7. Primo non sufficit vita Christianè acta ante peccatum admissum, qualis est moribundi in

duello, vel fornicatione. Ratio est; quod solum  
 peccatum commissum sit confessionis materia,  
 non committendum. Duellista enim invalidè  
 confitetur, licet fareretur etiam explicitè duel-  
 lus à se committendum, addereturque post vul-  
 nus acceptum se contritionem elicitorum. Nec  
 recert, quod peccatori, si presumatur attritus,  
 conferri possit. Extrema Unctio, quam per vitam  
 huiusmodi peccatum se desiderare indica-  
 vit: nam Sacramentum pœnitentiae ex parte  
 suscipientis non solum desiderium absolutionis  
 præteritum & presentem contritionem requirit,  
 sed etiam confessionem materiæ Sacramentalis,  
 qualis sola est peccatum præteritum.  
 Nec secundò iustificat vita potius peccata ad-  
 missione nostra Christianè negativè, id est, absque  
 obitua signis cum ea nullus ad Deum con-  
 versionis testimonium præbeat.  
 Terciò statim multis probabile videtur,  
 quod sufficiat vita post peccatum Christianè po-  
 ssit negari, ut in omnibus aliquibus conversionis  
 ad Deum, Vocatione, Auditione, Avertientia Sacra, ex-  
 aminis, confortemus, oratione devota. Per hæc  
 ientia, inquit, scilicet indicat se velle Christianè  
 vivere corpori, et sero similiter cupere se vitam  
 huiusmodi concludere, adeoque deside-  
 bant, se non vita absolutionem à peccatis jam  
 posse habere, & justi acci-  
 pientibus. Hoc ipso autem, quo desiderium  
 absolutionis emissè significatur, indicat verosimili-  
 tatem quæcumque in contritionem elicere, vel  
 ceteris quædam ergo in mortis periculo, cuius-  
 evera modis ista de contritione in ordine ad Ex-  
 tremam Unctionem presumit Ecclesia. Verum  
 hæc ratio omnisib[us] probatur. Licet enim vita  
 Christianè acta sit signum habitualis voluntatis  
 suscipiendo mortis articulo Sacra, suffi-  
 cientes ad Extremam Unctionem, non est ta-  
 men mortuus sic & nunc actualis sui accusa-  
 tio ad absolutionem ordinata, qualis essentiali-  
 er

ter requiritur ad hoc Sacramentum intrinsecè constans confessione , & aliis actibus pœnitentis tamquam parte materiali . Proinde melius alii dicunt , quod quamvis in tali moribundo non habeatur confessio actualis certò cognita , habebatur tamen actualis confessio probabiliter præsumpta , quæ in casu necessitatis sufficit . Experienciam enim constat , quod aliqui externis sensibus præpediti , tamen interiùs contriti fuerint , & illam suam contritionem signo aliquo externo , quo à morbo , vel causa aliqua naturali provenire putabatur , manifestaverint : prout de seipso testatur Marchantius . Unde secundūm hoc vita Christianè acta non est confessio , sed fundamentum , ex quo confessio hīc & nunc probabiliter præsumitur : quia præsumitur , quod talis moribundus , si forte sui compos sit , interiùs doleat , & forte exteriùs signo aliquo dolorem suum manifestaverit , quem dolorem tibi in illo articulo , dum Christianè instructus est , necessarium esse didicit . Fundant se etiam in Augustino l. 1. de adulterinis conjugiis , ubi cap. 26. sic loquitur : Cathecumenis ergò in hujus vita ultimo constitutis , si morbo , seu casu aliquo sic oppressi sint , ut quamvis adhuc vivant , petere sibi tamen baptismum , vel ad interrogata respondere non possint , propositi eis , quod eorum in fide Christiana jam nota voluntas est , ut eo modo baptizentur , quomodo baptizanter infantes , quorum voluntas nulla ... patuit . Et infra : non solum increabile est , nec in fine vitæ hujus baptizari Catechumenum velle , verum etiam si voluntas ejus incerta est , multò satius est nolenti dare , quam volenti negare , ubi velit an nolit , sic non appareat , & tamen credibilius sit eum , si posset , velle se dictinrum . & cap. 28. Ego non solum alios Cathecumenos , verum etiam ipsos , qui viventium conjugiis copulati retinent adulterina consortia , cùm salvos corpore in his permanentes non admittamus ad baptismum , tamen si desperati , & intra se pœnentes

ses jacuerint, nec pro se respondere potuerint, baptizandos puto. Et infra: quæ autem baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si forte pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit. Nec ipsos enim ex hac vita sine arrha suæ pacis exire velle debet Mater Ecclesia.

10. Verum antequam objectionibus illis facimus satis, Notent hujus sententiæ patroni hæc Augustini verba: non tamen .... damnare debemus eos, qui timidius agunt, quam nobis videtur agi oportere, videlicet, qui baptizare non audent eos Cathecumenos, qui pro se respondere nequiverint, ne forte contrarium gerant voluntatis arbitrium: & exinde discant proxim suæ opinioni contrariam non damnare, prout multi reos peccati arguunt, qui oppositam sententiam sequentes absolutiōnem denegant Christiano moribundo, si nulla doloris signa ostenderit: præsertim cum Decreta Conciliorum & Pontificum, dum dandam esse absolutionem moribundo statuunt, expressè addant, si per se vel per alios signa pœnitentia dederit; & Rituale Pauli V. beneficij absolutionis incapaces dicat, qui nulla dant signa doloris.

11. Nunc ad Augustinum revertentes dicimus comparationem reconciliationis cum baptismo ab eo allatam in hoc consistere, quod quod sicut baptismus conferendus est Cathecumeno, qui morbo aut subito oppressus non potest tunc voce testari voluntatem suscipiendi baptismum, quia nempe præsumitur in eo perseverasse saltem habitualiter: ita reconciliationis cum Ecclesia concedenda sit publico pœnitenti, dum similiter inopinato morbo aut casu opprimitur, quia nempe præsumitur etiam perseverasse desiderium reconciliationis. Non igitur illic agit Augustinus de reconciliatione Sacramentali, quâ peccata diuinituntur, sed de quadam cœrimoniali, quâ magni peccatores & excommunicati, peractâ publicâ pœnitentiâ, Ecclesiæ communioni restituebantur. Ipsum autem de hac reconciliatione agere satis

indi-

indicat nomen *p̄enitentis*. *Penitentes* enim olim specialiter vocabantur , qui publicam p̄enitentiam agebant. Et magis illum sensum indicant postrema illa verba : *nec ipsos enim ex hac vita sine arrha suae pacis exire velle debet Mater Ecclesia.* Nihil ergo ex hoc Augustini loco inferri potest pro absolutione Sacramentali tali moribundo conferenda , cùm de illa non agat.

12. Non caret tamen difficultate quod dicto capite 28. addit , videlicet , baptizandum etiam Catechumenum sic oppressum , licet adulterina conjugia huc usque retinuisse , quia talis non videtur dispositus ad effectum baptismi percipendum. Benignè igitur exponendus est , & dicendum eum tantum velle talem Catechumenum esse baptizandum , quando rationabiliter præsumi potest ex quibusdam externis signis , quod de conjugiis illis adulterinis , aliisque peccatis verè doleat , licet dolorem suum non possit verbis exprimere. Hoc tantum velle Augustinum , colligi videtur ex istis verbis : *tamen si desperati* , videlicet , ad valetudinem recuperandam , *& intra se p̄enitentes jacuerint* , *nee pro se respondere potuerint* , baptizandos puto. Et hoc etiam casu posset , imò deberet adulter baptizatus Sacramentaliter absolvī.

13. Quod si quis contendat Augustini comparationem intelligendam esse de reconciliatione Sacramentali , dicendum est ipsum non excludere signa aliqua , quibus Catechumenus sic oppressus testetur aliquo modo desiderium baptismi , sed tantum verba , quibus illud exprimat. Jam autem externa aliqua signa desiderii obtinendæ absolutionis , etiam sufficiunt in tali casu ad absolutionem impertiendam Hæc ad Augustinum.

14. Ad rationem vero ultimò propositam dicimus , nos non diffiteri , quin subinde moribundi sensibus externis præpediti , interius de peccatis doleant , & forte externum etiam signum ,

num istiū doloris edant, licet hoc non adver-  
tatur; id tamen ad dandam absolutionem non  
sufficit, quia debet contritio in ordine ad claves  
exhibita aliquo modo Sacerdoti innotescere,  
quod non sit in casu. Itaque moribundos ratio-  
nis & sensuum usa destitutos solo titulo Chri-  
stianæ vitæ absolvere non audemus. Quia ta-  
men opposita sententia probabilis est, saltem ab  
extrinseco, immo hodiecum communior, talibus  
sub conditione absolutionis beneficium conce-  
dendum putamus: cum in necessitatis articulo  
pro Sacramenti administratione saltem condi-  
tionata sufficiat materia eiam tenuiter solum  
probabilis.

15. Integritas confessionis quoad omnia mor-  
talia numquam confessa, quorum memoria ex  
diligenti præmeditatione habetur, necessaria est  
ex præcepto Christi, qui de illis, sicut simul à  
Deo remittuntur, simul sententiam absolu-  
tions ferri à Sacerdote voluit. Quare juxta capaci-  
tatem personarum, & lapsum temporis, ac fre-  
quentes peccandi occasiones, examen præmitti  
debet, quale in negotio gravi à viro prudenti  
adhiberi solet; non extraordinarium, quale fit in  
re gravi divitias aut honorem concernente, in  
qua diligentia ultra prudentiæ leges affectus acuit.  
Hinc passim censetur non esse præcepta peccato-  
rum descriptio, neque confessionis anticipatio,  
licet aliquid è memoria effluxurum sit. Procùl  
hinc igitur anxia quorundam conscientiæ dis-  
cussio, & scrupulosa tortura mentis super omni-  
bus etiam minutulis animæ imperfectionibus,  
quæ nonnulli etiam usque ad cerebri exinanitio-  
nem investigare solent omnes suos defectus,  
usque ad ipsas naturæ humanæ, quæ rationem  
& voluntatis regimen non attingunt, imper-  
fectiones, idque in ordine ad singula in Sacra-  
mentalii confessione enarranda. Quo sit, ut,  
dum annum & cerebrum superstitionis istis ru-  
minationibus fatigarunt, vix recordenr actus

primarij pœnitentiaæ, qui est contritio: vel, si recordentur, ineptus jam sit animus ad illam eliciendam, enervatâ imaginatione, & organis potentiarum, quæ concurrere debent. Quod involucrum suâ sæpè caligine augent quidam imprudentes Confessarij, qui in hoc toti incumbunt, ut confessionis integritatem eruant, de vero dolore vix solliciti: non attendentes, quod quamvis peccatorum venialium solida confessio sit utilis, solam tamen peccatorum mortalium confessionem esse necessariam; super omnia verò præquiri veram pœnitentiam, & peccatum detestationem.

16. Prætextu defectu diligentiaæ non sunt facile remittendi simplices & rudes, sed potius à Confessariis adjuvandi, dummodò aliquam saltem diligentiam juxta suam capacitatem præmisserint: quia sæpè ab illis plus expectari non potest, & quamvis remittantur, æquè imparati redibunt, & melius plerūmqne possunt à Confessario statim examinati & audiri, etiam cum confessionem generalem aut multorum annorum instituere debent ob præcedentes confessiones irritas, quæ si suæ industriæ relinquuntur, ut experientia docet. Quâ etiam constat, pœnitentes jam Divinâ gratiâ excitatos, si hoc prætextu dimittantur, postmodùm sæpè non reverti non sine gravi animarum detrimento. Nisi ergò specialia indicia Confessarius habeat, ob quæ omnino credat tales filios prodigos reversuros ad se, vel ad alium, magis salutare plerisque est, si ita examinentur è stapede, ut ita dicam, donenturque beneficio absolutionis, quæ si dimittantur ad se penitus excutiendos. Monendi tamen sunt, si quæ peccata, quæ in hac confessione meinoriæ non occurrerint, postmodùm occurrant, quod ea teneantur adhuc confiteri: & si alicujus peccati mortalis omitti ante susceptionem Sacramenti Eucharistiae recordentur, quod debeant illici confessionem Sacramentalem præmittere.

Qui-

Quibusdam verò rigidioribus visum est , quod  
**S. Thom.** quando aliquis recordatur eorum , quæ prius obi-  
in Suppl. tus erat , debet etiam ea , quæ prius confessus fuit ,  
q. 9. 2. 1. iterum confiteri ; & præcipue si non potest eundem  
ad 3. habere , cui ante confessus fuerat .... ut totius cul-  
pæ quantitas uni Sacerdoti innotescat . Sed hoc non  
videtur necessarium : quia peccatum habet quanti-  
tatem & ex seipso , & ex adjunctione alterius ;  
peccatorum autem , de quibus confessus est , mani-  
festavit quantitatem , quam ex seipsis habent . Ad  
hoc autem , quod Sacerdos utramque quantitatem  
hujus peccati , cuius fuerat oblitus , cognoscat ; suf-  
ficit quod hoc peccatum confitens dicat explicitè ,  
& alia in generali , dicendo , quod , cùm alia multa  
confiteretur , hujus oblitus fuit .

17. Excusat ab integritate materiali pœnitentem in necessitate confitendi constitutum , pri-  
mò impotentia physica vel moralis , ut si pœni-  
tens inchoatà confessione subito destituatur sensi-  
bus , vel si morbo aut vulnere ita urgeatur , ut  
periculum sit , ne ante absolutam confessionem  
expiret , aut instantे naufragio vel conflictu non  
sufficiat tempus ad integrè confitendum . Deni-  
que si pœnitens ita imperfectè linguam Confes-  
sarij calleat , ut non possit tali idiomate omnia  
sua peccata exprimere , & adsit hic & nunc con-  
fitendi necessitas . Secundò grave malum sive ipse  
pœnitenti ( nisi confessioni sit intrinsecum ) sive  
Confessario , aut alteri obventurum . Præceptum  
enim affirmativum cessare ad tempus certum est .  
occurrentibus iis , quæ Sacramentum efficiunt  
valde odiosum . Tale malum excusans est infa-  
mia pœnitentis apud tertium aliquem , cui Con-  
fessarius verosimiliter audita est revelatus . Item  
timor contagionis , gravis odij , vel scandali pœ-  
nitenti vel Confessario obventuri . Denique defe-  
ctus Confessarii quoad jurisdictionem in reser-  
vata . Cùm enim directè ab eis absolvere non pos-  
sit , & mortalia tantum semel per se loquendo  
confitenda sint , omitti reservata poterunt , expo-  
situs

sitis cæteris. Illicitè tamen reservans absolvit à solis reservatis, pœnitentem pro absolutione aliorum mortalium ad interiorem remittens, neque, teste Averla, \* ab hominum memoria oppositum in Curia Romana practicatum fuit, nisi pro \* q. 17.  
sect. 9. absolutione à censura, vel iubilatione solus reservationis. Nullo tamen modo audiendi sunt, qui dicunt in magno populi concurso posse Confessarium absolvere pœnitentes non integrè confessos ut possit omnes audire. Unde merito ab Innocentio XI. damnata est hæc: *licer sacramentaliter absolvere dimidiatè tantum confessos ratione magni concursus pœnitentium, qualis V G. potest contingere in die magna alicujus festivitatis, vel indulgentiae.* Multum itaque cavendum est, ne nimiâ tunc festinatione absolutiones temere præcipitentur.

13. Inquiri etiam h̄c solet an pœnitens possit, & debeat propter integratatem suæ confessionis personam complicis revelare? Supponitur non possit, quando aliter potest integra species peccati explicari, aut pœnitenti suppetit aliis Confessarius, qui complices non cognoscit, aut est morale periculum quod Confessarius extra confessionem complices infamabit, vel grave ei documentum inferet. His seclusis potest, immo teneatur pœnitens ob suæ confessionis integratatem, indirectè personam complicis manifestare: qui enim voluntariè se facit socium criminis, voluntariè etiam se subdit, quantum in ipso est, cognitioni judicis de tali crimine, siquidem voluntariè se facit circumstantiam talis delicti; adedique si crimen non possit cognosci in judicio absque cognitione & manifestatione talis circumstantiæ, nullam ei irrogat injuriam, qui habens jus manifestandi delictum judici, circumstantiam illam ipsi declarat: subindeque cum præceptum de integritate confessionis per se obliget, tenetur pœnitens in casu ad illud implendum, cum ex alio majori præcepto ab ejus impletione h̄c non prohibeatur.

prohibeatur. Sed quid de uxoribus passim suis Confessariis confitentibus peccata facta cum maritis, etiam si suppetant alii Confessarii, quibus maritus non est notus? sèpè excusandas putamus, eo quod peccata non sint multùm infamatoria, aut citra incommodum aliis confiteri non possint, aut Confessarius ordinarius magis in casu pròdese queat consilio, quia status familiæ ei melius innotescit. His seclusis peccat talis uxor, quæ peccata gravia & infamatoria facta cum marito confitetur proprio Confessario, dum habet facultatem æquè commodè confitendi alteri, nisi eam ignorantia invincibilis excuset, putans hoc sibi licere aperire Confessario, prout perversè persuadent sibi plurimi fas esse Confessariis dicere quasi omnia quæ audierunt vel sciunt, in hoc utique corrigendi & instruendi.

19. Sed quid si penitens non possit integrè confiteri, nisi manifestet peccatum non complicis, ut si quis occiderit sororem gravidam, quam Confessarius novit non fuisse conjugatam: is enim non poterit declarare totam malitiam sui peccati, nisi revelet fornicationem sororis suæ; potestne peccatum non complicis manifestare? Affirmant aliqui, quia, inquiunt, periculum invalidè confitendi, & per hoc incurriendi grave damnum spirituale, debet etiam prævalere qualicumque isti infamationi non complicis. Négant alij, quibus assentimur, disparitatem inter hunc & alium causum assigliantes, quod complex, patrando suum crimen cum altero, videatur cessisse juri suo, nec infametur, cum satis nosset præceptam esse confessionis integritatem; quod non potest dici de non complice.

20. Pro coronide hujus theseos observandum est, eum, qui peccatis aliquot ex justa causa, aut memorie defectu omissis, absolutionem consecutus est, teneri postea omissa peccata confiteri, cessante causa, ob quam omissa sunt. Unde missis ab Alexandro VII. proscripta est haec: *peccata*

cata in confessione omessa, seu oblita ob instans periculum vitæ, aut diuam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere. Sed quid de juventute, qui nesciens pollutionem esse peccatum mortale ideoque per annos plures eas in confessione retinuit, teneturne repetere confessiones omnes, quando postea intellexerit esse peccata? Supponimus, quoad molliorem non dari ignorantiam invincibilem juris naturæ, sed quod omnis talis ignorantia sit vincibilis. Putamus tamen non semper ejusmodi confessiones esse iterandas. Quanvis enim talis ignorantia fuerit vincibilis in ordine ad actum, qui ex illa processit, sive transgressionem, ac proinde eum non excusaverit à peccato; sæpè tamen contingere potest, quoa non sit culpabilis in ordine ad omissionem in Sacramento pœnitentiae, subindeque excuset ab iteratione illarum confessionum: ita ut sufficiat pollutiones omissas declarare. Quod tūm contingere existimamus, si adhibitâ morali aliquâ diligentia in examine conscientiae, nullo modo pœnitenti occurrat aliquid esse peccatum, nec dubio aliquo aut scrupulo in contrarium ducatur. Si verò in præcedentibus confessionibus de aliquo, an sit peccatum mortale, dubitaverit, & equidem consulere Confessarium omiserit, tunc talis omissione erit culpabilis, qui stante dubio tenebatur petere. Ac proinde non solùm obligabitur talis pœnirens peccata ignorata, & nunc cognita confiteri, sed etiam confessiones, in quibus occurrente illi dubio ea omisit, omnes reiterate. Si tamen aliæ intermediæ factæ fuerint bona fide, illas non erit opus repetere, quia validæ fuerunt, & semper validæ manent. Quod sacerdos Confessarios poterit juvare in praxi.

## §. IV.

DEFENSIO REI  
CORAM HOC SACRO  
TRIBUNALI.

**I.** **S**icut in omni judicio forensi datur Reo defensionis locus, ita & hīc. Aliter tamen, & aliter. In illo Reus se defendit, purgando se à crimen, de quo ab aliis corām judge accusatur: hīc verò se defendit, crimen ultrò à se confessum contritionis lacrymis eluendo, quæ hīc sunt advocatus pro Reo Sed heu! quot finaliter perduntur defectu hujus actūs legitimi, dum confessiones quidem multiplicant, actus verò contritionis, seu etiam attitionis adulterinos Sacramento supponunt! Ejus itaque naturam, secundūm quod aī hoc Sacramentale judicium requiritur & sufficit, paulisper investigemus.

**Sess. 14.  
cap. 4.** **2.** Contritio generaliter accepta secundūm Concilium Tridentinum est dolor animi, ac de-testatio de peccato commisso, cum proposito non pec-candi de cōtero. Fuit secundūm idem Concilium ad impetrāndam veniam peccatorum hic contritio-nis motus quovis tempore necessarius. Declarat ea-dem Sancta Synodus hanc contritionem non solum cessationem à peccato, & viuæ novæ propositum, & inchoationem, sed veteris etiam odium continere. Docet præterea, quod debeat esset dolor super-naturalis: & anathema dicit ei, qui dixerit sine præveniente Spiritu Sancti inspiratione. atque ejus adiutorio, hominem ... pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur. Et merito: quia dispositio deoet esse proportionata formæ, qualis non est dolor naturalis respectu gratiæ supernaturalis. Nec solum supernaturalis debet esse dolor, sed etiam formalis, sic ut non sufficiat virtualis in amore Dei vel spe inclusus; cùm semper dolorem & detestationem requirant

Con-

**Sess. 6.  
can. 3.**

Coucilia , semperque pro formal i dolore elicien-  
do ex conscientiæ examine si opportunitas . Por-  
rò ut supernaturalis sit , requiritur ut si ab auxi-  
lio gratiæ , & ex motivo per fidem supernatura-  
lem propositio concipiatur .

3. Requiritur quoque ut sit dolor efficax , sal-  
tem quoad effectum , hoc est , ut vi illius pœni-  
tens sit ita dispositus , ut mallet potius quodlibet  
malum pati , aut bonum amittere , quam rorsus  
peccare Debet enim absolute excludere volun-  
tatem peccandi , quod non faceret , si pœnitens  
vi illius non esset isto modo dispositus . Non de-  
bet tamen esse necessariò efficax quoad effectum  
hoc sensu , quod pœnitens vi illius debeat reip-  
sa numquàm amplius peccatum , de quo doluit ,  
postea committere : alioquin enim reincidentia  
in peccatum semper argueret insufficientiam do-  
loris propositi , quod falsum est . Neque hoc sen-  
su , quod debeat esse adeò fortis , ut re ipsa nul-  
lis sit temptationibus aut difficultatibus , quantumvis  
magnis , viucendus Talis quippe dolor , aut  
voluntas adeò efficax vix in hac vita est possibi-  
lis , cùm etiam efficacissima voluntas certis qui-  
busdam temptationibus gravissimis , si accidereint ,  
sæpè cederet . Alio tamen sensu dici potest , quod  
debeat etiam esse efficax quoad effectum : hoc vi-  
delicet , quod , quàm diu talis dolor est , efficaci-  
ter excluere debeat peccatum . S. enim cum pec-  
cato stare posset , non importaret veram & abso-  
lutam non peccandi voluntatem , sed solùm vel-  
leitatem quandam omnino insufficientem ad  
Pœnitentiæ Sacramentum .

4. Debet etiam contritio elic i ex intentione  
confitendi : quia alioquin non esset pars Sacra-  
menti . Cùm enim non sit pars naturalis , ex na-  
tura sua ad confessionem & absolutionem ordi-  
nata , solùm potest censi ri pars Sacramenti , si  
per intentionem pœnitentis ad alias partes refe-  
ratur .

5. Requiritur quoque ad remissionem mortali-  
um, ut dolor sit universalis, hoc est, exten-  
dens se ad omnia mortalia commissa, & nequid  
remissa, cum unum sine alio remitti non possit,  
nec ullum vi hujus Sacramenti absque dolore.  
Aliter dicendum de venialibus ob rationem op-  
positam. Unde ad eorum remissionem sufficit,  
si dolor se extendat ad omnia, quae in confessio-  
ne declarantur. Potest autem ille dolor esse tripli-  
citer de omnibus. Primo excitando singularem  
dolorem de singulis peccatis, illa in particulari  
recogitando. Secundo excitando dolorem uni-  
versalem, qui solus se extendat ad omnia mor-  
talia in particulari recogitata. Tertio excitando  
dolorem generalem de peccatis in confuso, & in  
genere remeinoratis.

6. Quamvis autem spectata rei natura status  
peccati in confuso representatus sit sufficiens,  
ut moveat hominem ad contritionem, & ita in  
mortis articulo, quando peccatorum notitia ha-  
beri non potest, ejusmodi poenitentialiter contri-  
to possit impendi absolutio: tamen quatenus con-  
tritio ad Sacramentum poenitentiae tamquam pars  
ordinatur, regulariter requiritur, ut peccator  
omnia sua peccata quoad speciem & numerum  
recogitet, illaque sic recogitata detestetur, non  
quidem de singulis eliciendo singularem dolo-  
rem, ad quod nullo precepto per se loquendo  
obligamur, sed unum, qui se extendat ad om-  
nia, quod satis est. Talis enim dolor non tan-  
tum est de universis, sed etiam de singulis; ut  
propterea etiam vocari possit specialis & distinctus,  
quatenus fertur in peccata singulariter & distincte  
cognita: quamvis non sit singularis de singulis.  
Erit autem utile, si simul cogitet de singulis do-  
lere se velle, quantum & quomodo oportet.

7. Dixi per se loquendo nullo precepto nos obli-  
gari ad singularem dolorem de singulis peccatis  
eliciendum, quia per accidens subinde necessa-  
rium esse potest super singulis etiam mortalibus  
reflec-

reflectere, quando nimis quām quis sufficientem extensivē dolorem non posset excitare, nisi singula particulariter detestando, quod subinde ob nimiam adhæsionem ad certum aliquod peccatum potest contingere. Quamvis enim omnia peccata S. Thom. mortalia conveniant in aversione, tamen differunt in Suppl. in causa & modo aversionis, & quantitate elongationis a Deo. Et hinc videtur aliquando homo generaliter de omnibus peccatis dolere, qui tamen ad particularia descendens, nullo modo ob deletionem, vel commodum illis annexum, ab illis avelli potest. Prout in luxuriosis, & ebriosis sèpè patet: utī & in illis, qui modis injustis magnas sibi divitias compararunt. Illis proinde sèpè necessarium est, ut in singulati, aut saltem in specie super injustitiis reflectant; aliàs pœnitentia, quantumcumque generalis, & ex generali motivo facta videatur, sèpiùs manca erit & multa. Et hinc Numero præcedenti requisivimus, ut dolor ad omnia peccata sigillatim recogitata se extendat. Non enim ad pœnitentiam ( ubi tempus, & circumstantiarum ratio aliter permittit) satis est, pœnitentem in genere apprehendere, quod peccator sit, sed oportet, ut propter determinatas transgressiones in aliquo genere vel specie se peccatorem recognoscat, et si fortassis numerice peccata non occurrant. Proinde ubi Confessarius pœnitentem advertit ad aliquod vel aliqua peccata specialiter proclivem, specialiter illum hortetur, ut particularem de illis dolorem excitet: ad quod utile erit motiva quædam particularia illi proponere.

8. Licet autem salubre sèpè consilium sit, & subinde necessarium, ad singula mortalia per singulares actus contritionis reflectere, melius tamen per se loquendo, & fructuosius multò est, ubi quis omnia recollegit, & eorum gravitatem expenderit, generali motivo universa simul detestari. Quia ad singula sic reflectere per particulares actus, nonnumquam periculose, non

tarò admodùm difficile , sàpè etiam impossibile est , subinde quoque totam virtutem contritionis enervat . Periculum quidem est , quia dum quis singulariter in detestanda malitia unius peccati in individuo occupatur , ita nonnuinquam illi uni inhæret , ut ad alia se non extendaat , & aliquorum detestationem penitus prætereat . Præterquam quoq; sàpè etiam periculo novi peccati se exponat : ut si luxuriosus suas fœditates minutatim mente pervolveret . Non tarò admodùm difficile , non solum quia memoria singula representans labilis est , sed etiam quia ipsum cerebrum facilè turbatur , dum vehementi plurium actuum imaginatione debilitatur . Sàpè etiam impossibile propter multitudinem peccatorum , aut angustiam temporis , vel circumstantiarum occurrentium . Subinde denique totam virtutem contritionis enervat , quia actibus nimùm multiplicatis animus totus fatigatur , & in fastidium solvitur .

9. Ad veram contritionem requiritur etiam propositum non peccandi de cætero , quale non habet qui , cùm potest , non vult deserere occasionem , in qua frequenter labitur , in eo periculò interpretativè peccatum diligens . Rectissimè Rodriguez non sine aliorum plurium suffragiis scribit , longè pures confessiones fieri sacrilegè ex defectu propositi emendationis , quam integratis . Et addit Cardinalis Lugo , potissimum causam , cur , qui tantum semel in anno contentur , toties & tam citò in peccata pristina relabantur , conjiciendam esse in defectum propositi : quia ne tunc qui tem , cùm annuam confessionem faciunt , propositum adferunt ; nisi infirmum . Proinde non minima circa illud Confessarii cura sit oportet , ut advertat , nùm pœnitentes firmum , efficaxque propositum non peccandi de cætero adferant . Debet autem per se loquendo propositum illud esse formale & expressum . Alioquin frustra in contritionis cœfinitione addidisset

Tri-

Tridentinum , cum proposito non peccandi de cætero; siquidem virtuale & implicitum in priori parte ejusdem definitionis includitur , cùm dicatur , dolor animi , ac detestatio de peccato commisso . Fieri enim non potest , ut aliquis ex animo coleat de præteritis , quin saltem implicitè proponat abstinenre à futuris : cùm non possit anteacta peccata serio efflere , & flenda rursùs committere velle . Per accidens tamen defectu temporis , aut considerationis sufficit propositum virtuale ; ut si quis in examinanda vita præterita , caque detestantia ita sit intentus , ut de futura emendatione non cogitet .

10. Porro ut serium aliquis propositum de cætero non peccandi habeat , non requiritur ut positivè jucet te non amplius peccaturum , sed sufficit quod verè proponat , quantum in se est , cum Dei gratia , evitare peccata . Quod propositum stare potest cum judicio probabili , quod reincidet . Et ideo peccator , qui ob inveteratam peccandi consuetudinem , considerata sua fragilitate , relapsum timet , potest legitime ad absolutionem disponi , dummodò efficax emendationis propositum habeat : quale tamen numquā habere censenda sunt illa venoris mancipia , quæ à prima adolescentia fœdissimè turpitudini assueta , Confessario dicunt , se non posse sine his voluptatibus vivere , tametsi millies addant , desiderare se , ut omni in illas spurcitas inclinatione carerent , & numquā iis Deum offenderent . Satis enim per verba priora indicant , se ita profunde in illas fœditates immersos , tantamque ex iis persentiscere voluptatem , ut nequeant seriam in se excitare voluntatem eas postponendi legi Divinæ illas prohibenti . Idem meritò timendum de illis , qui inveterata odia gerentes , rogati in mortis articulo , an inimico ex animo ignoscant , Confessario respondent , se quidem habere illi ignoscere , quia nunc sibi moriendum , sed tamen non posse oblivisci injuriarum .

riarum. Unde meritò Navarrus difficilimè corrigibilibus annumerat , qui rancores atque vindictas fovent.

11. Qui habens mortalia simul & venialia, utraque detestatur sub eodem motivo formaliter, et si in confessionali ante datam absolutionem peccet venialiter, nec de novo illo peccato doleat, non censetur revocare detestationem, prout se extendit ad mortalia. Idem dicendum, etiam si habeat sola venialia, quæ sub motivo communis omnia detestatur: dummodo tamen veniale, quod in confessionali admittit, sit levius aliis. Quia peccatum mortale est magis detestabile, quam venialia, & veniale gravius magis, quam levius. Si tamen admittat unum mortale, etiam levius, censetur revocasse virtualiter detestationem necessariam ad absolutionem aliorum, cum illa ad omne mortale se extendere debeat. Idem putamus, si ex eodem formaliter detestatus venialia leviora, ante absolutionem committed veniale gravius. Neque enim comparsibilis videtur dolor efficax ex communis motivo de venialibus levioribus cum actuali graviore.

12. Circa tempus, quo dolor debet existere, hæc videntur dicenda. Primo debere dolorem absolutionem praecedere, nec sufficere si subsequatur, subindeque absolutione indignum fore, qui prius de peccatis non doluit. Secundo in praxi semper curandum, ut confessioni præmittatur, tum ne aliquin confessio sit potius historica quædam narratio, quam sui ipsius Sacramentalis accusatio, tum quia aliquin periculum est, ne in exigua illa mora, quæ inter confessionem & absolutionem intercedit, pœnitens serio doleat. Non tamen absolute necessarium videtur, ut dolor confessionem praecedat, sed sufficit, si eam comitetur, aut etiam subsequatur ante absolutionem; quod non solum ex communis aestimatione fidelium existimantium se satisfacere, si post peccata confessa subjiciant actum doloris,

&amp;

& ex praxi Confessorum , qui de vera contritione pœnitentium dubitantes , illos ad eam , peractâ jam confessione , & non ante , excitare solent , sed etiam ex ratione satis manifestum est : quia confessio morali æstimatione sufficienter informatur à dolore simul cum ea , aut paulo post ante absolutionem elicito . Quàm diu enim pœnitens coram confessario flectit , præstolans absolutionis sententiam , perseverat moraliter in facta sui confessione , & quasi implicitè dicit : *ita omnino est , commisi omnia , quæ jam aperui , peto supplex eorum veniam , & salutarem pœnitentiam .* Consultissimum tamen erit , si Confessorius pœnitentes , quos tempore confessionis non satis contritos advertit , non solùm faciat verum actum contritionis elicere ante absolutionem , sed & insuper confessionem saltē in confuso repetere , curando ut de omnibus suis peccatis ante expositis iterū in generali se accusent .

13. Non est necesse , ut contritio formaliter duret tempore confessionis & absolutionis , sed sufficit quod perseveret virtualiter . Quantum autem temporis intercedere possit , ut virtualiter permanere censeatur , prudenti judicio , & ex circumstantiis moralibus pensandum est . *Explico .* Joannes pridiè vesperi , antequàm quieti se tradat , conscientiam suam examinat , cum proposito postridiè manè confitendi : aut eodem die manè se ad hoc Sacramentum præparat , & aliàs impeditur , ut non nisi circa meridiem confiteri possit ; censetur præcedens contritio virtualiter permanere , etiamsi in actu confitendi novum dolorem non concipiat , quia in ordine ad illam confessionem facta est , & aliàs supponitur voluntas prima non revocata . Idem dicendum , si quis , ut confessionem generalem instituat , facto conscientiæ examine , de peccatis doleat , & interim ob causam per dies plures de judicio Confessarii confessionem prosequatur , antequàm illam compleat ; aut volens lucrari Jubilæum ,

priusquam opera requisita perficiat , conscientiam cum dolore examinet , ut in Sabbatho vel Dominica , quando communicaturus est , confiteatur , & interim dictis operibus vacet : quia ratione horum operum , quæ moraliter prioris intentionis sunt indicia , censetur prior detestatio peccatorum in ordine ad confessionem in Sabbatho vel Dominica instituendam perseverare.

14. Quando verò multum temporis intercessit inter dolorem de peccatis priùs conceptum , & eorum confessionem , securius est , imò quandoque necessarium , priorem contritionem renovare , & quasi reproducere : quia nimia interea pœdo temporis frequenter mentem alterat , & distractio mentis ad alia , facile circa priorem detestationem aliquid immutare potest , imò impedimentum aliquod interponere . Tunc autem nimia censetur temporis interruptio , sic ut prior dolor non censeatur dicere ordinem ad confessionem subsequentem , quando morali aestimatione nihil prioris intentionis remanet , utpote quando animus omnino à priori intentione fuit distractus , & alii mancipatus , ut revera nullum in eo signum remanserit in ordine ad subsequentem confessionem . V. G. aliquis pio motu ductus conscientiam examinat , proponens prima opportunitate confiteri . Interim communiter absque alio speciali conatu ad alia divertitur , & ei post plures dies opportunitas contingit . Illa præcedens detestatio non videtur sufficiens , fuisse ad sequentem post dies plures confessionem . Siquidem in illo pœnitente nulus virtualiter motus in ordine ad illam confessionem videtur permanens , sed merè dumtaxat per accidens . Cum enim opportunitas in singulari proposita nona fuerit , sed tantum in genere , illa ei pure accidentaliter contingit , & non ex proposito , sicut contingere solet eis , qui in actu contritionis votum implicitum confitendi habuerunt , sed non pro aliquo determinato tempore , & eis post diis multis casualiter occasio confitendi occurseret .

15. Quid si autem aliquis instituendo hodiè ac-  
curatum & dolorificum examen de peccatis cum  
proposito cras confitendi, pœnitens alicujus pec-  
cati mortalis fuerit immemor, ejus verò memo-  
ria ante confessionem crastinam occurrat, eritne  
necessaria nova pœnitudo? R. si talis pœnitens pri-  
diè in conscientia non deprehenderit nisi sola ve-  
nialia, nec de illis nisi communi modo, quo so-  
lemus de venialibus, doluerit, opus erit dolore  
novo, cùm dolor de venialibus communiter ad  
mortalia non sufficiat. Idem dicendum, si in illo  
examine unum, aut plura peccata præter oblitum  
illi occutrerint, deque illis, aut illo ipsum pœni-  
tuerit ob motivum ne virtualiter quidem ad obli-  
tum se extendens. Quod satis probabiliter etiam  
afferitur, tametsi dolor pridianus conceptus fue-  
rit ex motivo communi peccatis tam oblitis,  
quam non oblitis, eo quod ad directam absolu-  
tionem à peccato non sufficiat ita esse dispositum,  
ut quis esset dolitus, si peccatum in mentem  
veniret, sed etiam requiratur, quod de peccato,  
à quo directè absolvitur, aut formalis dolor præ-  
cesserit tempore confessionis virtualiter perseve-  
rans, aut saltem in actu confitendi ante absolu-  
tionem eliciatur. Unde si quis post absolutionem  
jam acceptam adhuc recordetur alicujus peccati  
mortalis antea nec confessi, nec tempore exami-  
nis cum dolore recogniti, tenetur in illius con-  
fessione novum contritionis actum de eo elicere:  
quod tamen non erit necessarium, si de illo dolor  
aliquis præcesserit, & statim post absolutionem  
illud confiteatur, quia præcedens pœnitudo ad-  
huc moraliter tunc perseverat, nec fuit quoad hoc  
peccatum pars prioris Sacramenti, utpote per nul-  
lam confessionem facta sensibilis.

16. Superet jam examinanda gravis difficul-  
tas circa doloris Sacramentalis motivum, an  
scilicet requiratur motivum charitatis. sive an ne-  
cessaria sit perfecta contritio, ita ut pœnitens ve-  
rè dolere debeat de peccatis suis propter Deum  
sum-

summè dilectum? An verò sufficiat inferius aliquod motivum, & nominatum an satis sit quod doleat propter solum metum gehennæ? Ubi ly *solum* non est accipiendum exclusivè per exclusionem positivam aliorum motivorum, dicendo V.G. *non doleo quia Deus infinitè bonus est, sed tantùm quia timeo infernum*, ista enim positiva exclusio inordinata esset, & attritionem vitiaret; sed sumi debet vel præcisivè, ita ut dolor iste niti dicatur solo metu gehennæ, eo quod ab aliis motivis præscindatur, quia scilicet non se offerunt, vel ad ea non attenditur: vel dicendum ly *solum* tantùm afficere efficaciam doloris: quia nempe licet alia etiam motiva proponantur, minus tamen penetrantur, ideoque non movent efficaciter, ac proinde dolor quatenus efficax solo metu gehennæ nitatur.

17. Circa difficultatem propositam duplex est sententia. Altera negans attritionis merè formidolosæ sufficientiam ad justificationem cum Sacramento. Altera affirmans. Et negativa duobus potissimum fulcris hactenùs nixa est. Primum est, quod dolor ille naturalis videatur, cum nihil naturalius sit, quam ut quis quomodocumque sciens gehennam peccatoribus præparari, eamdem timeat, ideoque de peccatis suis doleat. Quod autem in Tridentino dicitur de attritione ex gehennæ metu concepta, quod donum Dei sit, & Spiritus sancti impulsus, adeoque supernaturalis, id passim explicabant illius Patroni tamquam dictum pro casu, quo voluntatem peccandi excluderet: hoc autem sine amore benevolentiae fieri posse negabant. Et hoc est ipsorum sententiæ fulcrum. Alterum, quod attritio merè formidolosa sine aliqua dilectione Dei benivola numquām voluntatem peccandi excludat, quod tamen ad justificationem necessariò requiri Fide certum est. Sed primum horum fundamentum nupero Vaticano fulmine corruit, quo ista est hæc: *Attritio: qua ex gehennæ & pœnarum metu concipitur, sine*

sine dilectione benevolentiae Dei propter se , non est bonus motus , ac supernaturalis. Et icta quidem usque ad imam radicem , dum simul mali germinis exusta est hæc radix pessima : *Timor gehennæ non est supernaturalis.* Nisi quis fortè minus reverenter erga Sanctam Sedem dicere audeat , condemnationes Pontificias sæpius ad TERRICULAMENTA DOCTORUM dari , non semper ad proscribendam falsitatem.

18. Sed videamus num secundo suo fulero firmius consistat. Hoc saltem ex pontificis oraculo jam certò didicimus , quod attritio formidolosa non involvat necessariò voluntatem peccandi , et si seponatur omnis benevolia Dei dilectio , & per consequens quod merè formidolosè attritus non necessariò hunc actum habeat , si non esset gehenna , ego peccarem ; alioquin attritio , quæ ex gehennæ & pœnarum metu concipitur , sine dilectione benevolentiae Dei propter se , non esset bonus motus , quod damnatum est. Videamus ulterius , num etiam positivè voluntatem peccandi excludat. Quantum capio , quantum sapio , aut hoc dicendum , aut admittendum quod Concilium Tridentinum solùm perstrinxerit Lutherum in suppositione impossibili. Definit enim Concilium Sess. 14. cap. 4. contra dictum Hæresiarchain , attritionem formidolosam , si voluntatem peccandi excludat , cum spe veniae , non solùm non facere hominem hypocritam , & magis peccatorem , sed esse donum Dei , & Spiritus Sancti impulsum , atque ad gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponere. Porrò si Concilium actum amoris requisivisset , utique Lutherum non perstrinxisset , quippe qui non asserebat attritionem conjunctam charitatis actui facere hominem hypocritam & magis peccatorem , sed id solùm affirmabat de attritione merè formidolosa , omnem charitatis actum , aut amorem Dei benevolum excludente. Audiamus , si lubet , ipsum loquentem non solùm

*Serm.*

Serm. 2. de pœnit. ( quem locum in Thesibus nostris de Legib⁹ pensatè expendimus , & unicus sufficeret ad intentum ) sed etiam in Libro contra Bullam Antichristi , ubi , postquam recitatet Articulum 6. à Leone X. damnatum , videlicet , contritio , quæ paratur per discussi⁹ men , collectio⁹ nem , & detestationem peccatorum , quā quis recognoscit annos suos in amaritudine anime suæ , ponderando peccatorum gravitatem multitudinem , fœlitudinem , amissionem æternæ beatitudinis , ac æternæ dannationis acquisitionem , hæc contritio facit hypocritam , imò magis peccatorem , ita subiungit ( Nota bene , scit enim Lutherus quid ipse doceat ) meus certè est articulus , & Christianismus , quem mihi innumerabilibus Papis & Papulis non finum extinqueri . Subsumo : sed in toto illo articulo nulla sit mentio charitatis , aut amoris benevoli ; ergo attritio , de qua Lutherus docuit facere hominem hypocritam , & magis peccatorem , non est conjuncta actui charitatis . Quod amplius constat ex ratione , quam pro suo errore passi⁹ adfert , nempe quò magis timore pœnæ , & dolore damni conseruntur ( ergo non si nul ex amore charitatis ) eò magis peccant , & afficiuntur suis peccatis , quæ sic coguntur ( reflecte ) non aurum volunt omissive . Et hæc est contritio , inquit , quam ipsi ( Catholici ) vocant EXTRA CHARITATEM non meritorium Ergo non agit de contritione , quæ simul ex charitate & metu fit , quam opinionem ( inquit ) errorem ego judico . Est qui reponit , solum voluisse Lutherum , OMNE illud peccatum esse , quod ante gratiam SANCTIFICANTEM , sive charitatem PERFECTAM erat in homine , & prominuit , cui assertum ejus non satisfacit , luculentum petenti se daturum testimonium . Expectabimus Interim dabimus ei ipsius Lutheri testimonium genera' e in contrarium in assertione Articulorum Bullæ Leonis X. afferit 6. ubi ait : si dixerint ( Catholici ) se loqui de contritione IN CHARITATE facta , jam articulus nihil ad me , non

non enim umquam sic docui. Et alibi inquit : dico  
 & ego , HABITA CHARITATE SIMUL ( ergo ti-  
 mor ex meo simul & charitate Luthero non est  
 malus ) moveri hominem ad timorem Dei , &  
 sic incipi pœnitentiam a TIMORE IN CHARITATE.  
 Alioquin stat firma sententia , quod timor bonum  
 non operatur , sed adit legem Quid luculentius ?  
 Quid manifestius ? Sed his ( ut opinor ) de Lu-  
 thero satis. Nunc assertum nostrum probemus  
 ratione.

19. Pro præsenti aliam non assigno, quam nuper  
 datam, videlicet : " quisquis vult finem , necessariò  
 " vult media necessaria ad finem : sed qui dolet de  
 " peccatis obmetum gehennæ , vult evitare gehen-  
 " nam ; ergo vult etiam media ad illam evitan-  
 " dam necessaria , & per consequens deponere af-  
 " fectum omnem erga mortale peccatum. Est ,  
 " cui ratio illa displicet , sed perperam intellecta.  
 " Hi c. rotundè concedit totum. Quid porrò ?  
 Si inferas , inquit , ergo metus gehennæ formaliter  
 & per se potest excludere voluntatem peccandi ,  
 consequentia vana est . Non enim in materia vel  
 forma Sacramentorum voluntas pro facto reputa-  
 tur , etiam ubi factum excludit non tantum neces-  
 sitas , sed etiam impossibilitas. Quid ultra ? Si  
 autem , inquit , velle depônere , contendas esse de-  
 ponere , si velis , media velle , per se esse adhi-  
 bere media , nil melius dicis , & si placet , hoc  
 non absimile solve argumentum : QUISQUIS VULT  
 FINEM , NECESSARIÒ VULT MEDIA AD FINEM :  
 SED QUI VULT ADHIBERE MANUM ET CALA-  
 MUM AD SCRIBENDUM , VULT SCRIBERE ;  
 ERGÒ VULT MEDIA AD SCRIBENDUM NECES-  
 SARIA ; ERGÒ VOLUNTAS EFFICAX SCRIBENSI  
 POTEST SCRIBERE. Negas , inquit , conseq-  
 uentiam ? Merito , ait : & ego aliam

20. Sed veniam R. D. Præsidis dictum sit vim  
 rationis nostræ non percipit. Unde non mirum ,  
 si simile ( ut quidam putavit ) sed omnino simi-  
 lile reposuerit argumentum. Itaque non hoc ra-  
 tioce

tiocinio nostro intendimus , quasi formidolosè attritus solum velit affectum peccandi deponere , & numquàm illum deponat . Neque contendimus , idem esse , velle voluntatem peccandi excludere , & illam actu excludere , aut velle media ad finem necessaria , esse per se illa adhibere . Quis enim adèd insipiat ? Sed tantùm quod aliquis ex solo metu gehennæ , sine ullo amore benevolo , possit deponere affectum peccandi , subindeque & actu sic deponat , quando timor ille est efficax . Quod ( ut puto ) ratio nostra planè convincit , si in ea ( prout oportet ) ly velle intelligatur de voluntate efficaci . Si enim aliquis ex solo metu gehennæ , sine ullo actu amoris benevoli , possit efficaciter velle affectum peccati deponere , ergò timor gehennæ formaliter & per se potest illum deponere . Sicuti ( ut allegato à V. D. Præside exemplo utamur ) dato quod aliquis solâ manu sine calamo posset velle efficaciter scribere , deberet manus formaliter & per se posse sine calamo scribere , alioquin voluntas ejus sine calamo scribendi non esset efficax : prout ideo non est efficax voluntas volandi sine alis , quia sic volare est impossibile , Potius itaque D. præfidi neganda fuerat minor syllogismi nostri , nempe quod dolens ob solum metum gehennæ velit efficaciter evitare gehennam , quæque ex illa ultrò fluunt consectaria , quàm illa oggerere , quæ à nullo attritionis formidolosæ Patrono sunt somniata .

21. Sed audiamus , nùm forte melius aliquid ad confirmationem jam dicti argumenti respondeat . " Timor pœnæ ( diximus ) juxta Adversarios cohabet saltem externum peccatum , V. G. " timor patibili externum furtum , ergò timor gehennæ cohabet etiam internum peccatum , " seu ad peccatum affectum . Probavimus consequiam : ideo timor pœnæ cohabet externum peccatum , quia propter illud pœna incurritur , " sed etiam propter internum peccatum incurritur gehenna , ergò id etiam cohabet ejus timor . " Res-

, Respondet D. Præses: antecedens verum est, & consequens verum est, si de peccato agatur committendo, si de commisso, falsum. Sed contra. Timor gehennæ juxta D. Præsidem cohibet internum peccatum committendum. Infero: ergo etiam excludit peccatum internum commissum, seu ad peccatum commissum affectum. Negas consequiam? Probo: idè timor gehennæ cohibet internum peccatum committendum, seu ponendum peccati affectum, quia propter illum gehenna incurritur, sed etiam incurritur gehenna propter affectum internum erga peccatum commissum, ergo timor gehennæ illum etiam excludit. Nolumus tamen per hoc probare, quod omnis timor efficax ad non ponendum peccatum sit etiam efficax ad retractandum commissum: neque in hoc est nostra paritas, sed in eo solum, quod sicuti datur aliquis timor per se efficax ad cohibendum affectum erga peccatum committendum, sic etiam aliquis dari possit, qui per se sit efficax ad deponendum affectum erga peccatum commissum; licet non omnis sufficiens ad primum, sufficiat etiam ad secundum. Ut enim peccatum committendum non committatur, sufficit sola cessatio ab actu, ad quam satis est timor naturalis. Ut verò excludatur peccatum commissum, requiritur voluntas positivè contraria rationi formalí peccati, ad quam saltem necessariò requiritur timor aliquis supernaturalis: qui etiam, dum est efficax, per se sufficit. Hinc jam patet, licet aliquid argumentum valeat à timore effaci ad non ponendum peccatum, ad peccatum commissum, non tamen omne argumentum simile subsistere. Et per consequens jam habet D. Præses solutionem ejus, quod ulterius inquirebat, videlicet, cur Angelicus Magister dicat, nec Antiochus verè pœnituit, pro ratione subiungens, dolebas enim de culpa præterita, non propter offensam Dei, sed propter infirmitatem corporalem, quam patiebatur. Patet, inquam, solutio, quia

quia timor infirmitatis corporalis , & ex illo timore conceptus dolor naturalis est , quem ad veram pœnitentiam non sufficere & nos dicimus . At , inquies , S. Doctor ad veram pœnitentiam requirit , ut sit propter offendam Dei R. etiam & nos . Ex quocumque enim motivo peccator pœniteat , verè revertatur ad Dominum , & ultimatum oculum in Deum referat , necesse est . Omnis namque salutaris pœnitudo , sive contritio sit , sive attritio , est propter Deum , & Deum offendum respicit : sed diversimodè . Contritio quidem oculo amoris , & detestando peccatum , quatenus est offensa Dei super omnia diligendi & dilecti : attritio verò oculo timoris , & detestando peccatum , quatenus est offensa Dei justissimi , æquissimi , ac tremendi judicis , cujus justitiæ satisfaciendum est mediis congruis .

22. Verùm positivè probari petis , quod attritio formidolosa dicat formalē repugnantiam ad peccatum , quod requiris , ut sit medium per se efficax ad excludendum peccatum commissum . Nolo refragari justa postulanti . Accipe igitur quod à me petis . Sed primò advertas velim , quod ad tale medium non requiratur , ut formaliter repugnet peccato secundū omnem rationem , quæ in eo reperitur ( hoc enim ne contritioni quidem perf. &æ convenit ) sed sufficiat quod formaliter dicat repugnantiam ad aliquam rationem peccati , quatenus est offensa Dei , V. G. quâ vindicis , & aliis rationibus implicitè ac virtualliter contrarietur . Hoc autem per se & formaliter convenit attritioni formidolosæ , quæ , quatenus est detestatio peccati , secundū quod est offensa Dei quâ vindicis , formaliter repugnat peccato , prout adversatur Deo vindici : quatenus autem explicitè vel implicitè adjunctum habet propositum servandi omnia Dei mandata , & per consequens præcepta fidei , spei , charitatis , virtualiter & implicitè peccato opponitur , prout contrariatur Deo quâ veraci , quâ infinitè bono in

In se, & quā bono nobis. Ecce habes quæ postulasti, ex quibus breve formō argumentum: charitas saltem perfecta est medium per se efficax & sufficiens detestandi peccatum, quatenus est offensa Dei quā patris; ergo purus, purusque gehennæ metus est medium per se efficax & sufficiens detestandi peccatum. quatenus est offensa Dei quā vindicis. Hęc ruminare, si lubeat, & vide, nūm attritio formidolosa voluntatem peccandi sufficienter non excludat. Unde ergo pro insufficientia ejus, etiam practica fatis conclusum? Ex prima, inquis, Innocentiana, in qua damnat Pontifex licere in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictā tutiore. Audio. Sed hæc cīne tantum probabilis? Inīo, inquis, quia contra attritionem formi solosam orbis litterarii, ipsiusque adē Ecclesiæ portiō ingens reclamat. Fatoꝝ; sed longè major pro illa inclamat, præsentim post cognita Tridentini Decreta, à quo tempore (teste Alexandro VII.) sententia illa inter Theologos cœpit esse COMMUNIOR, licet ex illis nonnulli etiam retus in Synodo gestis interfuerint. Argumentum non leve, hunc fuisse Concilii sensum, & sententiam. Alioquin si vel in speciem existimassent Concilii mentem huic sententiæ refragari, quomodò plerique post Tridentinum Scriptores communī consensu pro ea suffragium tulissent? Necesse est ergo illos ex Actis Concilii omnino collegisse, pro attritionis formidolosæ sufficientia in eo absolutè fuisse pronunciatum. Proinde sententiam illam in prætutam securè affirmo. Hoc si sit esse Probabilianum, non me pudet nominis, dum talis probabilitatis aperiē sum patronus. Nec est, quod aliquis ut inglorium mihi objiciat, profiteri me in præti sententiam tam, quæ, ipsius Pontificis oraculo, inter Scholasticos est COMMUNIOR, quæ communiter Doctoribus in Tridentino apparet manifesta (ut de ea amplius prudenter non habitem)

tem) quæ denique ab intrinseco adeò mihi certa est, ut nullam, in praxi eam sequendo, formidinem habeam.

23. Conitio justificans extra confessionem debet esse concepta ex motivo charitatis. Hæc, quantumcumque parva sit, infallibiliter etiam sine mora justificat. *Minima enim charitas plus diligit Deum, quam cupiditas millia auri & argenti.*

S. Thom. Sed respondentem audio, S. Thomam hic solùm  
3. p. q. 70. agere de charitate, quæ confertur pueris usu rationis carentibus in Circumcisione. Inspice, inquit, librum, & convictus es. Sed numquid bel-

a. 4. in Corp. lè ( ait ) ab illa, utpote INFUSA, SANCTIFICANTE, argumentum fit ad quemlibet ACTUM, etiam quantumvis remissum dilectionis Dei? R. bellis. simè. Nam agit quidem ibi S. Doctor de charitate, quæ parvulis in Circumcisione confertur, sed non merè secundūm habitum, qui in illis oriosus est, sed secundūm ejus ACTUM, qui in adulta ætate concupiscentiam reprimit, & implet mandata legis. Et de illo dicit Angelicus Magister:

*minima charitas ( id est , minimus actus charitatis ) plus diligit Deum, quam cupiditas millia auri & argenti.* Inspice librum, & convictus es. Præterquam etiam quod verbum DILIGIT, quo utitur S. Doctor, non nudum habitum charitatis importet, sed actum, aut habitum operantem.

in Suppl. Unde & alibi dicit: *quantumcumque parvus sit*  
q. 5. a. 3. dolor, aut modò ad contritionis rationem sufficiat,  
in Corp. omnens culpam delet. Imò, inquis: Sed quomodo

hoc probat Angelicus Magister? Hoc modo, ais, in argomento Sed contra: *quælibet contritio est gratiâ gratum faciente informata.* Dicitne hoc (ultrius inquiris) de omni actu amoris Dei? En, inquis, verba in corpore articuli: *amor potest esse ita remissus, quod non sufficit ad rationem contritionis.* Sed obsecro, mi D. Præses, Sanctumne Doctorem in illo loco legisti umquam? Inspice, si lubet, articulum, & loco ly *contritionis* invenies ly *charitatis.* Sed quoniam errorem illum,

licet

licet desuper monitus , etiamnūm in nuperis tuis  
 Thesibus non emendasti ( tortè quod Domina-  
 tionis Tuæ nimis magnus , aut ingratus labor sit,  
 propriis oculis S. Thomam inspicere ) en , ut la-  
 bori parcas , verba ejus genuina : contritio ( ut sæpe  
 dictum est ) habet duplicitem dolorem : unum ratio-  
 nis , qui est displicantia peccati commissi . Et hic po-  
 test esse adeò parvus , quod non sufficiet ad rati-  
 onem contritionis : ut si minùs displaceat ei pecca-  
 tum , quam debeat displicere separatio à fine : sicut  
 etiam amor potest esse ita remissus , quod non suffi-  
 cit ad rationem CHARITATIS . Sed quid inde in-  
 fers ? Ergo contritio remissa extra Sacramentum  
 non justificat . Consequentia nulla est , loquendo  
 de contritione solùm remissa quoad intensionem :  
 cùm Angelicus Doctor tantum hic deneget vim  
 remittendi peccata contritioni adeò remissæ quoad  
 appretiationem , ut displicantia peccati non sit  
 supra displicantiam separationis à fine , ac proinde  
 non habeat veram rationem contritionis , de cu-  
 jus essentia est , ut sit dolor de peccato super om-  
 nia alia mala . Exprese autem in fine Corporis  
 hanc vim concedit dolori quantumlibet parvo ,  
 videlicet , quoad intensionem , dummodò ad con-  
 tritionis rationem sufficiat , hoc est , dummodò ap-  
 pretiativè sit dolor de peccatis super omnia alia  
 mala ; quæ est ipsissima doctrina nostra . Sic ergo S.Th. ubi  
 dicendum , quod quantumcumque parvus sit dolor , supra  
 dummodò ad contritionis rationem sufficiat , omnem  
 culpam delet , etiam extra Sacramentum .

24. At non videntur ista duo posse simul sub-  
 sistere , ut dolor sit summus , seu super omnia  
 quoad appretiationem , & sit remissus quoad in-  
 tensionem ; quia quod movet ad appretiationem  
 objecti , movet etiam ad actus intentionis . R.  
 nego assumptum : quia certum est inter actus con-  
 tritionis & charitatis posse dari remisos & inten-  
 sos , quamvis debeat necessariò esse appretiativè  
 summi , sive debeat suum objectum super om-  
 nia appretiare . Et verò si , quod movet , ad appre-  
 tiatio-

tiationem objecti, æqualiter moveret ad intentionem actus, sicut appetitio objecti debet esse summa, talis etiam deberet esse intensio, quod certò falso est. Potest itaque dari & dolor, & amor appetitivè magnus, & intensivè parvus. Idque patet communi exemplo in matre quandisque diligente filium suum tenellum, & parvulum amore intensivè magno, & appetitivè parvo: & econtra alterum factum jam adolescentem diligente amore appetitivè magno, & intensivè parvo: ita ut verè amore suo grandiorum parvulo præferat, licet parvulum intensius amet. Cujus diversitatis ratio est, quod ex diversis capitibus oriantur appetitio objecti, & intensio actus. Appetitio enim oritur ex objecti æstimabilitate, intensio autem ex vehementia objecti, & conatu potentiae erga illud. Et hinc quia objectum sensibile naturâ suâ vehementius voluntatem inovet, quam spirituale, amor sensibilium potest esse vehementior, quam spiritualem; & similiiter dolor. Unde excusandi veniunt, qui parentum, aut liberorum mortem deflent intensius, quam sua peccata: modò eos in dilectione Deo non præferant, vel eorum mortem non magis detestentur, quam Dei offendam, sed malint eos potius amittere, quam mortaliter peccando Deum offendere.

25 Hinc patet ad rationem contritionis non requiri dolorem aliquem sensitivum, immo saepius fine illo veram etiam contritionem posse inveniri. *Quia non obedit affectus inferior superiori ad nutum, ut tanta & talis passio sequatur in inferiori appetitu, qualiter ordinatus superior.* Quod benè observent Confessarii pro nonnullis pœnitentibus, qui non putant se veraciter contritos, nisi dolorem in parte sensitiva sentiant. Saepè tamen ex displicentia peccati oritur etiam dolor in parte sensitiva vel ex necessitate naturæ, secundum quod vires inferiores sequuntur motum superiorum: vel ex electione, secundum quod homo

Ibid.

pœ.

S. Thom.  
in Suppl.  
q. 3 a. 1.  
in Corp.

pœnitens in seipso hunc dolorem excitat. Hinc sa-  
pius illæ lachrymæ in quibusdam pœnitentibus.  
Illi tamen præsertim muliercularum : on ni-  
miùm fidat pœnitens Confessa ius , sed motivum,  
unde fluunt , mature expendat. Sæpius etiam Ibid. q. 4.  
dolorem in parte sensit. va moderetur , & ini 2. a. in  
get : quia passio doloris , quæ voluntas assumit , Corp.  
debet esse moderatè inten/a , & etiam moderatè  
aurare ; ne , si nimia fuerit , aut nimis duret ,  
homo in desperationem , aut pusillanimitatem , &  
hujusmodi virtus labatur.\* In his autem omnibus de \* Ibid q.  
bet accipi pro mensura conservatio subjecti , & 3. a. 2. in  
bonæ valedicentis sufficientis ad ea , quæ agenda Corp.  
incumbunt

20. Quanum ad dolorem superioris affectus re-  
quiritur , quod de majori peccato quis doleat ma- Ibid a. 3.  
gis : quia ratio doloris est major in uno , quam in Corp.  
in alio , scilicet offensa Dei ; ex magis enim inor-  
dinato actu Deus magis offenditur. Unde contri-  
tio inæqualiter , saltem virtualiter , depretiat pec-  
cata inæqualia , propria graviora præ levioribus,  
ut magis summo bono contraria , seu voluntati  
Divinæ gravius prohibenti adversativa : proprium  
veniale præ mortali alieno secundum se spectato,  
cum charitas Dei nos obliget , ut magis fugiamus ,  
quod magis ille à nobis vitari desiderat , licet  
aliud malum illius simpliciter sit gravius. Imò  
directè magis detestatur veniale proprium , ut  
pote subjecto suo imputabile , quam originale  
per se sumptum , quod nostrâ voluntate non est Ibid. q. 2.  
inductum , sed ex vitæ naturæ origine contractum. a. 2. in

27. Venialium extra Sacramentalis remissio Corp.  
supernaturalem actum requirit , utpote gratiâ  
cæli ingressum accelerans. Non tamen sufficit  
quilibet actus bonus supernaturalis , sed esse de-  
bet retractatus peccati , quia semper à Scrip-  
turis ad veniam requiritur pœnitentia. Quod ad Epist. 48  
minima quoque extendit D. Augustinus dicens : ad Vî-  
nec quemquam putas ab errore ad veritatem , & à cent.  
Quocumque seu magno , seu parvo peccato ad cor

S. Thom. *restitutionem sine pœnitentia posse transire.* Sufficit tamen  
3 p. q. 87. retractatio virtualis: puta cum aliquis hoc modo fer-  
a. i. in tur secundum affectum in Deum & res Divinas, ut  
Corp. quidquid sibi occurreret, quod cum ab hoc motu retar-  
daret. displaceceret, & doleret se hoc commisisse. Non

requiritur tamen contritio charitate perfecta, ne  
actus difficilior pro remittendis illis, quam pro  
mortali bus necessarius sit, quæ tamen juxta Tri-  
dentinum præter confessionem multis aliis reme-

Sess. 14. diis expiari possunt. Ergo contritio non est uni-  
cap. 5. tum remedium ad ea expianda extra Sacramen-  
tum. Quomodo enim multa essent remedia, si

unicum esset? Fatendum ergo est alia dari.  
Quod ex natura etiam culpæ venialis facile suau-  
datur, quæ, cum levior sit, quam mortalis, &  
frequentius contrahatur, facilitiora etiam & fre-  
quentiora habere debuit remedia quibus posset  
facilius ac saepius expiari.

28. Sufficiens igitur censeri debet attritio effi-  
cax, hominem venialibus remittendis affectivè  
opponens, sive formalis sit, sive virtualis in-  
clusa in actu spei, timoris, seu virtutis cuiusvis  
respectivè ad peccata opposita, sicut pro extra  
Sacramento remissione mortalium sufficit vir-  
tualis contritio in amore Dei contenta. Non  
omnis tamen dicenda est sufficiens, ne fateri  
oporteat, nulla umquam venialia primò tolli  
per confessionem, ad eamque frustra ante com-  
munionem pro venialium expiatione recurri,  
quod est contra \* Tridentinum. Requiritur ergo  
præter attritionem aliquis fervor devotionis, quo  
promptè homo tendat in Deum, vel res Divi-

\* ubi su-  
pra. S. Thom. nas: quia per peccatum veniale retardatur affectus  
3.p. q. 87. hominis, ne promptè in Deum feratur.

a. i. in Corp. 29. Ut venialia per Sacramentum Pœnitentiæ  
remittantur, requiritur formalis dolor de illis,  
quia talis dolor est pars essentialis istius Sacra-  
menti. Ut autem remittantur per alia Sacra-  
menta, sufficit virtualis, inclusus in pio aliquo motu  
in Deum habente repugnantiam cum illis. Siqui-  
dem

dem respectu aliorum Sacramentorum cessat ratio allata pro Sacramento pœnitentiæ, nec est alia assignabilis exigens dolorem formalem, præsertim cum possint etiam extra Sacra menta remitti sine dolore formalí, ut jam probatum est.

30. Venialia etiam per Sacramentalia remitti communis est sensus fidelium, & ab ipsa Ecclesia in eum fidem attributur. Quæ duo in similibus magni sunt ponderis. Videturque respectu aquæ benedictæ id definitum ab Alexandro I. de consec. dist. 3. his verbis: *aquam sale conspersam in populis benedicimus, ut ea cuncti apergit sanctificantur*, videlicet per remissionem peccatorum, non mortalium, ergo venalium. Hunc tamen effectum non videntur habere ex opere operato, quia id videtur Sacramentis proprium, sed tantum mediæ ex opere operantis, mediante scilicet pœnitentia formalí vel virtuali, ad quam agendum auxilia aliqua infallibiliter à Deo impen trant. Ista nobis videtur mens S. Thomæ 3. p. q. 87. a. 3. ad 1. ubi de aspersione aquæ benedictæ benedictione Episcopali, & aliis hujusmodi ait: *quod omnia ista causant remissionem peccatorum venalium, in quantum inclinant animam ad motum pœnitentiae, qui est detestatio peccatorum vel implicitè, vel explicitè*. Ista autem inclinatio habetur mediante auxilio gratiæ. Quamvis autem lectiones piæ, imagines sacræ; conciones &c. etiam ad pœnitentiam moveant, non tamen eis tribuitur, ut Sacramentalibus, vis remittendi venialia, quia non impen trant nobis infallibiliter auxilia ad pœnitentiam necessaria, prout impen trant Sacramentalia.

31. Venialia, quæ nondum homine justo moriente remissa sunt, remittuntur per quamdam detestationem peccati venialis, quam homo elicit in primo instanti post mortem. Cum enim in illo instanti separationis anima clare cognoscat omnes suas culpas, tuncque desideret ab illis citissime expiari, & præsto sit auxilium gratiæ ad de testa.

testationem peccati necessarium, statim in actam detestationis prosumpt, quo venialia illi remittuntur. Quamvis autem per talē detestationem expiatur culpa peccati venialis, nihil tamen de pœna illi debita relaxatur: quia in bonis actibus in eo statu elicitis non est valor satisfactorius propria temporali, sicut non est in eisdem valor meritorius vitæ æternæ. Valor enim operum nostrorum in ordine ad meritum & satisfactionem dependet ab acceptatione Divina: Deus autem opera jam defunctorum ut satisfactoria non acceptat.

32. Sed quid dicendum de venia'ibus in damnatis? Dicunt aliqui, quod, etsi numquā remittantur quoad culpam, tamen aliquando terminetur pœna illis debita. Cūm enim peccatum veniale ex se non mereatur pœnam æternam, non ideo prolixiori pœnâ puniendum videtur, quia est cum mortali coniunctum: siquidem per illam conjunctionem neque intenditur, neque remittitur. Sed nobis probabilius videtur dicendum, quod peccata venialia in hac vita non remissa, per accidens in inferno æternū puniantur; tam diu enim pœna producitur, quamdiu culpa perjurat: in inferno autem culpa æterna est, cūm nulla detestatione, nulla etiam Deo errata satisfactione deleatur. Nec propterea ulla sit damnatis injuria, qui in illum calamitosum statum, in quo nulla est venia, sponte suā prolapsi sunt. Nec etiam Deus ultra condignum punit, quia licet per se peccato veniali pœna non debeatur æterna, per accidens tamen ex conditione subjecti peccatum semper amantis sempiternâ pœnâ punitur. Iustum est enim, ut quos culpa semper inquinat, per etiam pœna semper astringat. Unde æternū punitur in tempore culpa perpetrata, quia quod breve fuit in tempore vel opere, longum esse constat in partinaci inflexibilis obstinatæ mentis voluntate, quæ, etsi ad nihil redigi vellet, ut non

pateretur, vivere semper vellet tamen, ut semper peccare posset. Ad magnam igitur judicantis justitiam pertinet, ut numquām careant supplicio, qui numquām volunt carere peccato. Rationabiliter tamen dicitur, quod pœna, cuius est aliquis debitor post culpam remissam, in inferno punietur temporaliter. Nec propter hoc sequitur, in 4.d.22.  
quod inferno sit redemptio, quia pœna, que solvit, non redimitur. Nec est inconveniens, quod quantum ad aliquid accidentale pœna inferni minuatur usque ad diem judicii, sicut etiam augetur, ex consortio scilicet damnatorum.

### §. V.

## SATISFACTIO REI PRO DELICTO IN HOC SACRO TRIBUNALI.

**Q**uartvis secundūm Concilium Tridentinum Sacrum Pœnitentiæ Tribunal non sit forum iræ vel pœnarum, sed gratiæ, antiquissimæ tamen Ecclesiæ usum receptum est, ut cùm pœnitentes solvuntur à pœnâ aliqua eis irrogetur, cuius pœnæ solutio satisfactio vocari conuerit: quæ considerari potest dupliciter. Uno modo, secundūm quod à Sacerdote imponitur. Alio modo, secundūm quod à pœnitente impletur: quomodo hic solùm de ea agemus, quia prior ejus consideratio non ad Reum spectat (de quo in præsenti nobis sermo) sed ad judicem.

Sess. 14.  
cap. 8.  
Cathecif.  
Rom. p.  
2. §. 64.

2. De illa itaque sic loquendo, dicendum est prīmō, quod deleat ex opere operato pœnas temporales peccatis remissis adhuc debitās, utpote pars Sacramenti, ad plenam perfectam pecatorum remissionem ex Dei institutione requisita. Trid. sess. Porro non concurrit ad remissionem eorum 15. cap. 3. quoad culpam: ergo saltem quoad pœnam. Itaque ex Dei institutione, adeoque ex opere ope-

Operato. Tollit autem pœnas omnes peccatis confessis debitas, si juxta Dei decretum proportionata sit, & debito modo peragatur. Non item, si tantum proportionata à Confessario judicetur: cùm ejus æstimatio nihil suppleat in iis, quibus remissionem Deus annexuit. Proinde majorem, vel minorem partem istius pœnæ delet, prout magis, aut minus peccatorum gravitati proportionata est, & majori, aut minori devotione peragitur. Sicut enim Sacraenta majorem gratiam causant magis dispositis, ita & hoc opus satisfactorium. Unde pluris valet ad remissionem pœnarum unum *Ave Maria* pro pœnitentia injunctum, quam viginti recitata ex propria devotione: cum illud vim Sacramentalē habeat ex opere operato, alia verò non. Attendant hoc rigidi illi Confessarii, qui ad vim, quam Sacramentalis satisfactio habet ex opere operato, non attendentes, sèpè justò graviores pœnitentias injungendo, indiscretè excedunt. Attendant & illud molliores illi, qui ex hoc principio sèpiùs justò leviores satisfactiones imponendo, nimium deficiunt. Optandum sanè, ut & illi suum rigorem paulò mitigarent, & isti nimia benignitatis mollitiem paulò dimitterent, ac graviores nonnihil pœnitentibus suis satisfactiones imponerent, ut citius delere possint pœnas in Purgatorio aliquin solvendas.

3. Ad hunc effectum obtainendum, uti fit in remissione pœnæ ex opere operantis, & per indulgentias, requiritur status gratiæ. Verum quidem est, quod hîc non tam attendi debeat dignitas operantis, quam dignitas operis quatenus facti juxta institutionem Christi, cui ipse satisfactionem suam condignam applicavit, sed addi debet in subjecto digno, & non habente obicem. Nec sufficit, quod subjectum aliquando per gratiam dignum fuerit, quando peccata per Sacramentum ei quoad culpam fuerunt remissa, sed & defacta, dum pœnitentia impletur, dignum sit oportet. Sicut

cut enim Sacramentum non habet effectum ex opere operato, donec reipsa suscipiatur, ita etiam reatus pœnæ temporalis ex opere operato non tollitur ratione satisfactionis impositæ, donec reipsa persolvatur: quæ enim totius, eadem partis est ratio, proportione servata.

4. Dicendum secundò, quod etiam ex opere operato causet aliquas gratias actuales suo tempore dandas adversus relapsum: quia ex Christi institutione non tantum imponitur *ad præterito-*  
*rum peccatorum vindictam & castigationem*, sed etiam *ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis me-*  
*dicamentum*, seu in remedium contra relapsum.  
 Ad quem finem necessarium est auxilium præ-  
 servans à peccatis futuris, & adjuvans ad emen-  
 danda præterita. Quia autem gratiæ actuales so-  
 lùn habitualem consequi solent, dicendum est  
 tertio cum Doctore Angelico, *quod satisfactio etiam*  
*confert gratiam habitualem, prout est in proposito,* 3.p.q. 90.  
*& auget eam, prout est in executione*, ut ita na-  
 turam Sacramenti, cuius est pars, aliqualiter par-  
 ticipet.

Concil.  
Trid. sess.  
14. cap. 8.

5. Tenetur pœnitens absolvendus sub mortali acceptare pœnitentiam gravem, proportionatam, pro mortalibus primò confessis impositam, & acceptam exequi. Hoc autem non oritur ex obligatione h̄ic satisfaciendi pro pœnis Purgatori, sed ex potestate judiciali ligandi Sacerdotibus datâ. Recusare pœnitentiam potest, qui absolvi non cupit, etiam sine veniali, si causa subsit. Si tamen Confessarius convenientem satisfactionem imponat, non licet pœnitenti sine peccato Sacra-  
 mentum imperfectum relinquere, & justum Sa-  
 cerdotis judicium effugere, cùm se illi jam subje-  
 cerit. Si pœnitentia nimis dura & aspera videatur,  
 nec congruat pœnitentis fragilitati, potest suam infirmitatem aperire, pro illius commutatione humiliiter supplicare, aut illam reverenter recusa-  
 re, eo jure, quo licet ab injusta, vel incongrua  
 sententia appellare.

6. Levem, V. G. Psalmum *Miserere*, etiam totalem, pro solo venialibus, & mortalibus secundò confessis, adeòque antea in Sacramento proportionatè punitis, non acceptare, aut acceptatam non exequi, citra contemptum, solum veniale est: cùm tantum in materia levi Sacramenti integritas violetur, & obligatio, quæ tantum respectivè ad materiam levem, vel non necessariam imponi potest, nequeat esse gravis, aut ad salutem impletu necessaria. Ex quo constat, quod etiam poenitentia alioquin gravis pro culpis solum levibus, vel alias confessis imposta, tantum etiam obliget sub veniali: nam gravitas obligationis non eit præcisè attendenda ex ipsa materia poenitentiae secundum se, sed simul ex radice obligationis, seu præcepti, quæ radix, cùm hic sit levis, scilicet culpa venialis, aut non necessariò confitenda, non potest parere obligationem gravem. Sed quid si clave errante imponatur satisfactio levis pro mortalibus primò confessis? Dicendum videtur graviter obligare: quia licet in se levus sit, tamen respectivè ad causam gravis est. Poenitens tamen, qui justò leviorem impositam sibi poenitentiam agnosceret, non teneretur propria sponte ulteriorem in se suscipere, cum opus, quod assumeret, non esset pars Sacramentalis defectum supplens, nec hic sit obligatio satisfaciendi pro poenis Purgatorii.

7. Implenda est poenitentia ab ipso poenitente (cujus solius actus sunt confessionis materia) nisi Confessarius aliud exprimat, aut poenitentia consistat in operibus, quæ per alium eadem bonitate fieri possunt, ut est V. G. datio elemosinæ, nisi & hanc Confessarius vellet ob justam causam immediatè ab ipso poenitente erogari. Hinc justissimè Alexander VII. proscripti hanc: poenitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius poenitentiam adimpleat. Impleri autem debet ex intentione satisfaciendi obligationi Sacramentali; nam in quibus activè se habet poenitens,

nitens, non minùs, quàm minister, ex intentione  
actuā procedere debet. Impletur validè & licitè  
in mortali, dummodo Confessarius non præcepe-  
rit illam impleri in statu gratiæ. Licet enim finis  
præcipuus Christi pœnitentiam imperantis fuerit  
sub anno reatus pœnæ, ille tamen sub præcepto  
non cadit. Adde quod in statu peccati obtineatur  
falsi Christi partialis in pœnitentia intentus, scili-  
cet rænum peccatorum. Satisfactionio etiam sublato  
obice verosimiliter more Sacramentali reviviscit.  
Neque dicas, esse saltem veniale, obicem ponere  
remissioni pœnæ ex opere operato faciendæ, ne  
admittere debeas, peccare venialiter peccatorem,  
qui pro se Missas offerri curans, illarum satisfa-  
ctioni obicem ponit. Huic sententiæ non parùm  
faverit Ecclesiæ praxis, quâ Confessariis ex quibus-  
dam causis permittitur, ut subinde diuturniores  
pœnitentias imponant, cùm subsit interim evidens  
periculum, quod pœnitentes saltem ex toto in statu  
gratiæ eas non implebunt.

3. Executio pœnitentiaæ subsequi absolutionem  
solet. Posset præcedere, & per eam ad esse Sacra-  
mentale elevari, non tamen nisi post illam ex ope-  
re operato habitura effectum, cùm Sacramentum  
effectum suum habere non incipiat, donec per  
formam sit consummatum, nec secundarius effe-  
ctus Sacamenti detur ante primarium. Non sem-  
per quoad hoc eadem Ecclesiæ fuit consuetudo.  
Nam olim multo tempore eum morem tenuit,  
ut Præpositi Ecclesiæ confitentibus actionem pœ-  
nitentiaæ darent, & eosdem falubri satisfactione Leo Papa  
purgatos ad Sacramentorum communionem per Epist. 91.  
ianuam reconciliationis admitterent. Jam verò  
ab aliquot sæculis, justis haud dubiè mota ra-  
tionibus, eum satisfactionis modum immuta-  
vit, & absolutionem verè pœnitentibus etiam  
ante peractam pœnitentiam impendit. Utraque  
sanè laudanda praxis. Idem enim Spiritus Sanctus  
Ecclesiam dirigens, qui fervori fidelium tem-  
poribus istis convenientius reperit, ut satisfactio-

absolutionem præcederet, infirmitati temporum  
 nostrorum condescendens, aliud nunc magis ex-  
 pediens judicavit. Quis autem nescit, hanc po-  
 testatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacra-  
 mentorum dispensatione, salvâ illorum substantiâ,  
 ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientis utilita-  
 ti, seu iprorum Sacramentorum venerationi, pro-  
 rerum, temporum, & locorum varietate magis ex-  
 pedire judicaret. Ruinosa ergo sunt fundamenta,  
 quæ à temporibus antiquis accersunt novarum  
 methodorum architecti non boni, qui damna-  
 tum jam olim à Sixto IV. Petri Oxomensis Ar-  
 ticulum recudere volentes, non sunt absolvendi  
 pœnitentes, nisi peractâ prius pœnitentiâ iis injunctâ,  
 non verebantur dicere, per illam praxim mox ab-  
 solvendi ordo pœnitentiæ est inversus, pro ratione  
 assignantes, quia ordinem præmittendi satisfac-  
 tionem absolutioni induxit non Politia, aut institu-  
 tio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex & præscriptio,  
 naturâ rei idipsum quodammodo dictante. Sed altè  
 jam silent post auditum nuper Alexandri VIII.  
 Oraculum, quo eorum obstructum est os contra  
 communem Universalis Ecclesiæ praxim loquen-  
 tium tam iniqua.

9 Dilatio satisfactionis nimia, consideratis cir-  
 cumstantiis, mortalis est: minor, V. G. ad dies  
 aliquot ultra tempus commodum, solum est ve-  
 malis. Tunc autem certè censeri debet dilatio ni-  
 mia, quando sufficiens mora temporis interces-  
 sit, ut pœnitens dici queat morosus debiti solu-  
 tor. Quod non unâ regulâ determinari potest, sed  
 videndum est ad quantitatem & qualitatem ope-  
 ris injuncti; ad opportunitatem, quam pœnitens  
 habuit, pœnitentiam implendi; denique ad inspi-  
 rations Divinas, quibus quasi de suo debito mo-  
 netur, & satisfactio à Deo exigitur: ad quas non  
 auscultando, quasi solutionem negat, dum læso  
 Divino Numini, ubi sibi est commodum, dare  
 satisfactionem exactam recusat. Non est tamen  
 audiendus Diana existimans, non esse peccatum  
 mor-

mortale, illam ad annum differre. Non impleta suo tempore pœnitentia postea impleri debet, si, ut ferè solet, tempus tantum accessoriæ, sive ut pars pœnitentiæ separabilis, appositum sit. Omit-  
ti potest, si tempus pars fuerit pœnitentiæ indi-  
vibiliter datæ, at est tempus Jubilæi, pro quo  
solo lucrando opus est assignatum.

10. Excusat ab executione pœnitentiæ imposi-  
tæ impotentia pœnitentis physica, vel moralis;  
ut si manifestè sit improportionata ( quo casu ta-  
men eam tantum omittere potest, quatenus men-  
suram excedit ) si absque infamia impleri non  
possit: si confessio fuerit invalida: denique si à  
Confessario, peccatorum etiam confusè imme-  
more, alia haberi non possit, sive inculpabiliter,  
sive culpabiliter pœnitens oblitus fuerit pœniten-  
tiæ injunctæ. Non enim repetenda est confessio  
pro pœnitentia sola, ne bis rubor & verecundia,  
maximum confessionis onus, sustineri debeat  
( quod nullo jure præscriptum est ) sed peccatum  
dumtaxat oblivionis, si ipsa fuerit culpabilis, in  
proxima confessione est aperiendum. Si tamen  
oblivio occurrat tempore, quo Sacerdos fortè re-  
cordatur pœnitentiæ impositæ, tenetur pœnitens  
ad eum redire, & interrogare. Quod si nec Sa-  
cerdos recordetur, non oportet, ut alia impona-  
tur, immò nec imponi potest, quæ sit propriè Sa-  
cramentalis, si amplius non duret moraliter prius  
judicium. Hoc autem moraliter durante ( in quo  
tempore determinando mirè variant Auctores )  
injunctam sibi de novo pœnitentiam exequi talis  
pœnitens deberet. Nec eam etiam in meliorem  
propria auctoritate potest commutare, utpote  
qui non ex sua, sed aliena voluntate obligatio-  
nem accepit. Sic enim præceptum jejunium in  
Communionem, vel aliud opus, subditorum ne-  
mo commutare potest: præsertim cùm satisfactio  
non sit pars Sacramenti, nisi ut à Judice est im-  
posita.

## §. VI.

J U D E X

## IN HOC SACRO TRIBUNALI.

**I.** St solus Sacerdos. Non enim fidelibus,  
Joan. 20. **E** omnibus, sed solis Discipulis dictum est:  
*quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Sed  
nonne quandoque laicus supplere potest defectum  
Sacerdotis, & officio ejus, saltem in necessitate,  
fungi? Ratio dubitandi esse potest, quia sicut  
baptismus est Sacramentum necessitatis, ita &  
pœnitentia: sed in illo quilibet in necessitate est  
minister, ergo & in hoc. Unde resolvendum  
propono casum sequentem; quem verbis Aeneas  
Sylvii, postea Pii II. Romani Pontificis sic de-  
scribit Nauclerus in sua Chronologia Generali 48.  
ad Annum Salvatoris 1425.

**2.** Angliae Rex Henricus Anno Christi 1415.  
ingressus cum exercitu Galliam, captis aliquot  
locis, Gallisque prælio vicit, at non multò post  
ab iisdem undique cinctus, pollicetur, se, si cum  
exercitu incolumis dimittatur, restituturum loca,  
quaæ de iis ceperat. Negantibus Gallicis, noctu  
(ita enim impetraverat inducias) vocatis Duci-  
bus, neque fugere, inquit, commilitones, ne  
que pacem ex hostibus consequi possumus, quam-  
vis esse Regno Galliæ voluerimas. Sola nos  
arma tueri possunt. Non est cur tantum exerci-  
tum formidetis. Justam causam justus Deus ad-  
juvabit. Ite, **E** alter alteri vestra peccata con-  
fitemini, pusillumque terræ ob memoriam Sa-  
cramenti Eucharistiae Salvatoris alter alteri por-  
rigite. Crastina die liberabit nos Dominus ex  
manibus inimicorum. Sic dimissâ concione, per-  
actis, quaæ jusserat, curare milites corpora præ-  
cipit. Orto die commissum est prælrium. Ceciderunt  
Gallorum millia quatuor genere illustri. Omnes  
captivos Henricus in Angliam duxit. 3.

3. Ante resolutionem suppono 1. certum esse de Fide, quod solus verus Sacerdos possit esse idoneus minister hujus Sacramenti, ut constat ex verbis Christi Domini Numero 1. allatis. Nec argumentum pro ratione dubitandi propositum, contrarium evincit. Pœnitentia enim non est tantæ S. Th. 3.  
necessitatis, sicut baptismus. Potest enim per con- p. q. 57 a.  
tritionem suppleri defectus Sacerdotalis absolutionis, 3. ad 3.  
quæ non liberat à tota pœna, nec etiam pueris  
adhibetur. Et ideo non est simile de baptismo, cuius  
effectus per nihil aliud suppleri potest. Hinc sequi-  
tur, quod in nullo prorsus casu fieri possit Sacra-  
mentalnis confessio alicui non Sacerdoti. Nec  
obstat quod S. Thomas in Suppl. q. 8. a. 2. ad 1.  
dicat confessio ex defectu Sacerdotis laico facta Sa-  
cramentalis est quodammodo, quamvis non sit Sa-  
cramentum perfectum, quia deest ei id, quod est  
ex parte Sacerdotis. Clarum enim est, quod per  
confessionem Sacramentalem nos intelligat Sa-  
cramentalem propriè, quæ ordinatur ad Sacra-  
mentum, vel sit pars Sacramenti, sed impro-  
priè tantum, quia scilicet conjunctum habet  
Sacramenti desiderium.

4 Suppono 2. confessionem laico factam licet Sacramentalis non sit , valere tamen posse ad veniam à Deo impetrandam ex opere operantis , propter humiliationem confitentis. Sic ubi supra nos docet Angelicus Magister , dum ait : *in necessitate in Corpore sestate etiam laicus vicem Sacerdotis supplet* , ut ei confessio fieri possit ; \* qui quamvis Sacmentum perficere non possit , ut faciat id , quod ex parte \*ib. ad x. Sacerdotis est , absolutionem scilicet : defectum tamen Sacerdotis Summus Sacerdos supplet.

5. Suppono 3. quamvis laudabile esse possit,  
viro prudenti & taciturno, in mortis articulo,  
dum deest Sacerdos, vulnera animæ suæ detege-  
re ad sui salutarem confusionem, nullum tamen  
extare præceptum, quo quis non habens copiam  
Confessarii, alteri peccata sua confiteri teneatur.  
Proinde quod ait Auctor Libri de vera & falsa

pœnitentia cap. 10. tanta est vis confessionis, ut, si deest Sacerdos, confiteatur proximo, vel solum consilium continet, vel est ultra columnas Herculis projiciendum. Majorem difficultatem in-  
 ubi supra gerunt verba Angelici Doctoris: quando necessi-  
 ad x. tas imminet debet facere pœnitens, quod ex par-  
 te sua est, scilicet confiteri, cui potest. Sed dicendum, quod ibi debet non significet de-  
 bitum de præcepto, sed solum de congruo: quia  
 tempore S. Thomæ ea confessio frequentari so-  
 lebat, ut sic Deus propter humilitationem con-  
 fitentis flecteretur ad veniam ei concedendam,  
 eo quod propositum, quod concepit, confitendi secundum  
 ibid. ad 3. mandatum Dei, sicut potuit, implevit Quæ consue-  
 tudo vim legis numquām obtinuit. Unde in  
 Corpore Articuli solum dicit, quod *in necessitate*  
*laico confessio fieri possit*. Merito tamen talis con-  
 suetudo nunc exolevit, cum nulla ejus rei sit  
 necessitas, nullumque præceptum, nec expeditat  
 per se loquendo, peccata, præsertim occulta &  
 gravia manifestare extra Sacramentum. Si nihil  
 ominis fieret, auditor teneretur vinculo secreti,  
 non solum naturalis, sed quodammodo etiam  
 Sacramentalis: quia licet talis confessio simpli-  
 citer Sacramentalis non esset, pœnitens tamen  
 eam faceret cum desiderio confitendi Presbytero,  
 si ejus copiam haberet; ac proinde esset quadan-  
 tenus Sacramentalis, seu aliquodusque de Sa-  
 cramentalī participaret.

6. Suppono 4. quod licet olim consuetum fuerit,  
 ut in necessitate, dum deesset copia Sacerdotis,  
 confessio humilitatis causâ fieret laico, illa tamen  
 licita non fuerit aut cum audientis scandalo, aut  
 alterius peccati probabili periculo. Ex quo patet,  
 mandatum, aut etiam consilium Henrici Regis,  
 de quo casus noster, itemque confessiones illas  
 vix excusari posse à peccato (nisi ob ignorantiam,  
 vel bonam fidem, intentionemque) dato etiam,  
 quod tūm temporis consuetudo laicis in neceſſi-  
 tate confitendi adhuc viguiffet. Nam & sese dif-  
 fa-

famabant milites illi absque sufficienti causa, & fortè etiam inducebant illos personatos Confessarios ad fungendum sacrilegè munere Confessarii, & jaciebant semina multarum discordiarum, quæ facile poterant fecuturis annis oriri ex revelatione, vel etiam exprobratione criminum cognitorum ex tali confessione, ex qua propriè & strictè Sacramentale sigillum non eriebatur, sed solùm secretum aliquod, impropriè illius naturam participans, quod verosimilius ab hujuscmodi gentis hominibus servandum non erat.

7. Præter Ordinem etiam necessaria est in Sacerdote jurisdic̄tio, cùm per modum sententiae judicialis absolutio detur, & judex in hoc differat ab arbitro, quod huic partes stare ex compromisso mutuo, illi verò ut Superiori, qui per se ligare & solvere possit, obedire debeant. Quoniam igitur natura & ratio judicii illud exposuit, ut sententia in subditos dum taxat feratur; persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse Synodus Tridentina confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem. Jurisdic̄tio hæc, in quantum absolutionem Sacramentalem respicit, est auctoritas quædam in alterum tamquam in subditum, per quam in Foro Pœnitentiali Sacerdos tamquam judex in alterum sententiam ferre possit. Acquiritur autem juridicâ deputatione certarum personarum, in quas Sacerdos potestatem absolvendi in Ordinatione incompletè, & in actu primo acceptam exerceat. Accipiunt illam omnes Confessarii Summo Pontifice inferiores, ab illo tamquam Primo in terris Capite: ipse verò immensitatè à Christo.

8. Duplex est: ordinaria, & delegata. Illam habent omnes illi, quibus ratione officii incumbit cura animarum. Primo igitur illam habet Summus Pontifex in omnes Christi fideles, 2. Legati à latere, & Nuntii Apostolici intra termi-

nos suæ nuntiaturæ. 3. Archi•Episcopi in subditos suorum Suffraganeorum tempore visitationis, & non aliàs. 4. Episcopi intra suas Diœceses; uti & eorum Vicarii, ac Capitulum Sede vacante. 5. Abbates jurisdictione quasi Episcopali gaudentes intra suæ jurisdictionis terminos. 6. Decanus Canonorum respectu Capituli. 7. Parochi respectu suæ Parochiæ; quibus adjunguntur eorum Vicarii, sive perpetui, sive temporales. 8. Generales Ordinum respectu totius Religionis. 9. Provincialis respectu suæ Provinciæ. 10. Priors, Guardini, Rectores, in Religiosos suæ Communitatis. His, cùm favorable sit, Novitii comprehenduntur, sed accumulativè, cùm in odiosis profissi non sint. Quare etiam à Sacerdotibus sacerularibus absolvi possunt; quamvis id illis inhibere, & prohibitioni contravenientes Superior etiam punire possit.

9. Delegatam habent omnes illi, quibus causa legitimè concessa est ab habente ordinariam. Non cessat delegatio morte concedentis, \* si data sit absque ordine ad certam personam: cùm sit gratia Confessariorum facta, quam decet esse mansuram.

\*Cap. 36. de præb. in 6. Cessat tamen, si in favorem certi pœnitentis data sit, cùm sit gratia adhuc facienda, quæ, si res integra sit, morte concedentis expirat. Eamdem accipit ab Ecclesia quivis Sacerdos, ut à quibusvis peccatis & censuris Sacramento obstantibus, absolvat existentem in mortis articulo. Nam piè

Concil. Trid. sess. admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in 14. cap. 7. Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis; atque ideo quilibet Sacerdotes quolibet pœnitentes & quibusvis peccatis

& censuris absolvere possunt. Unde rectè hic monet Eximus D. Steyaert: cùm igitur casus ille frequenter accidat, quam instructum esse oporteat in praxi hujus Sacramenti Presbyterum quemlibet in sæculo versantem, esto nullam habeat, vel habiturus sit specialem animarum curam. Si quidem quandam majoris artis sit, & periculi,

con-

confessionem audire , in vitâne , an in mortis articulo , non facile dixeris. Hoc privilegium in tellige juxta consuetudinem \* antiquam à Tridentino approbatam absente Sacerdote proprio: nam hoc præsente cessat necessitas. Unde Rituale Romanum ait: *Si periculum immineat , approba-  
tusque desit Confessarius , quilibet Sacerdos potest à  
quibuscumque censuris , & peccatis absolvere.* Ergo si approbatus non desit , quilibet id non potest. Hinc sequitur , quod æger , post absolutionem à simplici Sacerdote acceptam , proprio supervenienti mortalia omissa confiteri debeat , non tam abrumpere confessionem coram altero inchoatam , eo quod jurisdictione delegata post inchoationem causæ non cesseret , donec per sententiam terminetur. Sed quid si pœnitens censuram reservatam habeat ? A superveniente Superiori statim absolutionem petat , necesse est , cum ab illa simplex Sacerdos tantum absolvere possit ad reincidentiam , si Superiori \* se non sistat oppor-  
tunitate prima , quæ tūm offertur per illius ad-  
ventum.

\* can fin.  
26. q. 6.

10. Quod attinet ad absolutionem à veniali- bus , licet potestas absolvendi ab illis communiter tribuatur omni Sacerdoti , hæc tamen potestas jam sublata est per Decretum Innocentii XI. editum Anno 1679. 12. Februarii , in quo Episco- pis mandatur , ut non permittant , ut venialium confessio fiat simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo , aut Ordinario. Nec antea id omnibus competebat sine tacita acceptatione jurisdictionis ab Ecclesia in omnes Christi fideles respectu ve- nialium.

\* Extrav.  
I. §. in-  
cendiat ,  
de privil.

11. Regulares Mendicantes legitimè approba- ti , in locis , pro quibus approbati sunt , jurisdi- ctionem delegatam habent à Summo Pontifice \* in oīnnes fideles sacerulares , undecumque adventan- tes. Hanc tamen non accipiunt ab eo immedia- tè , sed per Superiores. Unde non possunt munus Confessarii obire , nisi à Superioribus suis deputa-

ti.

ti. Dixi, *in fideles sacerulares*, quia licet Papa illis jurisdictionem concedat illimitatè in omnes Christi fideles, tamen per hoc non intendit derogare Constitutionibus Religionum, vi quarum variis Religiosi confiteri non possunt nisi Confessariis à Superioribus designatis. Hinc dum ob negotia, vel studia, aliâve ex causâ Religiosi à Conventu, vel Monasterio absunt, scire debent ex Superioribus suis, aut suæ Religionis Statutis, receptâve consuetudine, quibus confiteri possint. Si versus Superior, aut Religio nihil circa hoc statuerit, censetur permittere, ut cuilibet Sacerdoti approbato confiteantur. Notandum tamen, quod quamvis Religiosi Mendicantes accipiant à Pontifice jurisdictionem in omnes sacerulares, non possint tamen id facere in alienis Ecclesiis, nisi de consensu eorum, qui illis Ecclesiis præsunt. Id enim prohibitum est ad vitandam confusione, & perturbationem pacis. Si tamen Episcopus daret illis specialem facultatem ad audiendas confessiones in determinata aliqua Parochia suæ Diœcesis, possent tunc etiam invito Parocho illic confessiones excipere: quia Parochus Episcopo subjacet.

12. Jurisdictionem delegatain accipit indirecte electus ab habente privilegium. Superior enim potestatem illam privilegiatis faciens, jurisdictionem tribuit in eos, qui se illis subjecerunt. Eligere autem in Confessarium possunt quemvis Abbates exempti: & superiores Regularium Mendicantium, nisi Regula prohibeat, cum ut Ordinarii suos subjecere aliis possint. Quemvis\* etiam, sed à suo Ordinario approbatum, eligere possunt Episcopi. Ita enim requirit bina Cardinalium Declaration, disp. 21. num. 31. apud Lugonem. Expositum eligere possunt peregrini ex tacito suorum Superiorum consensu, nisi peregrinentur in fraudem. Vagi expositum, sed in loco, in quo sunt, ne sint omnino ex leges, præsertim cum ad assistendum matrimonio Parochum loci adhibe-

\*Cap.fin.  
de poenit

re debeant. Delegatus subdelegare non potest, nisi id faciat Ordinarii consensu & nomine.

13. Non sufficit iurisdictio petita, & juste negata: immo & negata injuste; quia nulla jura, isto etiam casu, eam concedunt & contrarium potius colligitur ex cap. *omnis utriusque sexus*, de poenit. & remiss. ubi dicitur: *si quis alieno Sacerdoti voluerit justa de causa confiteri, licentiam prius postule*, & obtineat à proprio Sacerdote. Non sufficit etiam iurisdictio dubia, vel probabilis, extra necessitatem; cum illâ utens exponeret Sacramentum periculo nullitatis, & contra damnationem Innocentii XI. in praxim duderet hanc: *non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutiore &c.* Certa tamen iurisdictio per dubiam revocationem cessare non videtur; nam pro rebus humanæ dispositioni subjectis valet regula, *in dubio melior est conditio possidentis*.

14. In carentibus iurisdictione, illam supplet Ecclesia pro actibus singulis, quando publico errore illam habere existimantur, & adest titulus coloratus. Dicitur autem titulus coloratus, collatio alicujus beneficii habentis sibi annexam curam animarum, aut delegatio jurisdictionis apparenter legitima, quæ tamen collatio & delegatio sit invalida propter occultum aliquem detectum, V. G. occultam Simoniam, aut Excommunicationem. Tunc enim censetur Ecclesia supplere illum defectum, & tali Confessario iurisdictionem concedere, saltē transeunter, ad singulos actus, ne aliqua anima pereat occasione tituli colorati à se non concessi, dantis errori communī occasionem. Peccat tamen insufficiētiæ illius conscius, tūm Sacerdos absolvens, cui nullatenus favere Ecclesia desiderat, tūm poenitens ab illo absolutionem petens, quando adest Confessarius alius, vel deest causa confitendi justa, cum alterum in peccatum inducat.

Non supplet Ecclesia defectum jurisdictionis probabilis ex facto , seu opinione privata , cùm error communis h̄ic desit , neque tantis incommodis sit occurrentum.

15. Jurisdictionis limitatur , & restringitur per reservationem , quæ nihil aliud est , quām jurisdictionis sublatio ad absolvendum à quibusdam censuris , & peccatis. Finis reservationis est duplex , pœna scilicet , & cautela. Expedit enim , ut graviora quædam crima severius puniantur , & Superioribus Judicibus reserventur : tūm ut ipse delinquens possit à relapsu præservari , tūm etiam ut scandalū , & damna , aliorumque pericula ex similibus peccatis non raro exurgentia certius vitentur. Hinc magnoperè ad Christiani populi disciplinam pertinere Sanctissimis Patribus nostris visum est , ut atrociora quedam , & graviora crima non à quibusvis , sed à Summis dumtaxat Sacerdotibus absolverentur. Unde merito Pont. Max. pro supra potestate sibi in Ecclesia tradita , causas aliquas criminum graviores suo potuerunt particulari judicio reservare. Neque dubitandum est ( quando omnia , quæ à Deo sunt , ordinata sunt ) quin hoc idem Episcopis omnibus , in sua ciuique Diœcesi , in edificationem tamen , non in destructionem , liceat , pro illis in subditos tradita supra reliquos inferiores Sacerdotes auctoritate , præsertim quoad illa , quibus excommunicationis censura annexa est. Hanc autem delictorum reservationem , consonum est Divine auctoritati , non tantum in externa Politia , sed etiam coram Deo vim habere. In reservatione non soli actus externi , sed cum illis etiam interni reservari solent. Unde internos confiteri non debet , qui apud carentem jurisdictione externos reservatos ex causa omittere potest. Externi , ut reservatis comprehendantur , secundum se , & non ex sola operantis intentione gravitatem mortalem objectivam habere debent , nisi aliud expressum sit. Hinc supposito V. G. quod peccatum contra castitatem reservatum

Concil.

Trid. sess.

34. cap. 7.

rum sit , quoties in actum externum prodit , & ex intentione moraliter mala contra castitatem proferatur verbum aliquod turpe ex se leve , vel ex eadem intentione exerceatur actio externa ex se levis ; nec verbum illud , nec actio illa erunt reservata , licet contrahant malitiam mortalem ex intentione mortifera. Reservatio enim principaliter cadit supra actum externum ; ac proinde requirit externam actionem secundum se graviter malam. Per peccata etiam intelligi solent certa , non dubia ; item consummata effectu secuto , nisi etiam dubium & attentatio reserventur. Unde reservato homicidio , vel fornicatione , non sufficeret percussio gravis , si mors inde non sequetur , nec sollicitatio ad fornicationem , si ex sollicitatione non sequeretur fornicatio. Reservatio quippe , utpote odiosa , strictæ est interpretationis. In universali reservatione includuntur peccata impuberum , imò & ignorantium reservationem , cum reservatio non sit punitio , sed dispositio legis de jurisdictione in commune bonum.

16. Peccata Pontifici reservata ordinariè reservantur simul cum excommunicatione annexa. Unde qui hanc ob ignorantiam non incurrit , vel ab ea absolutus est , à reservatione peccati liber est. Episcopis à jure reservatur \* procuratio abortus foetus animati. Nec sufficit ad absolvendum ab illo casu potestas generalis absolvendi à peccatis , & censuris Episcopo reservatis , cum iis dumtaxat Confessariis approbatis quam facultatem Pontifex concedat , qui ad hos casus specialiter sunt deputati. Procurantes tamen abortus foetus inanimati , vel præbentes mulieribus venena sterilitatis , vel quoquo modo , ne foetus concipiatur , impedimentum præstantes , aut consilium , aut auxilium ad hoc præbentes , licet per Bullam Sixti V. Excommuncentur , modò tamen ex jure communi excommunicationem non incurront , cùm quoad prædicta per Gregorium XIV.

in mode-

\* in Bull.  
Sedes  
Apostol.  
Gregor.  
XIV.

moderata sit , perinde , ac si eadem constitutio in  
bujusmodi parte numquam emanasset. Casus alios  
alibi Episcopi sibi reservant , sed nullos reservare  
possunt Papæ reservatos , juxta Declarationem  
Cardinalium apud Quaranta V. casus versu.  
Illicitè reservant respectu Parochorum nimis  
multos , in dō invalidē , si illi alioquin munere  
suo debitē fungi non possint. Hoc enim foret  
moraliter illis auferre Pastorale officium , quod  
sine causa sufficienti tolli non potest. Prælatus  
Regularis juxta Constitutionem Clementis VIII.  
& Urbani VIII. apud Lugonem \* sine Capitulo

\*Disp.20. Generali , vel Provinciali , non nisi undecim ca-  
num. 47. sibus reservationem apponere potest , neque plu-  
ribus censuram reservatam. Hæc reservatio etiam  
Novitios spectat , sed tantum in ordine ad Con-  
fessarium Regularem Superiori eidem subjectum  
( cum ab hoc illius jurisdictione restringi possit )  
non in ordine ad Confessarium alium , qui ab  
illis casibus sacerdotes absolvere potest.

17. Carens jurisdictione in reservata , pœnitentia-  
tem , ubi reservatum exposuit , sistere debet , &  
ad Superiorum remittere , nisi veniam pro eo im-  
petrare possit. Extra mortis articulum tantum  
possunt per se & directè absolvere à reservatis  
ipse reservans , ejusque Superior , & ille , cui  
absolvendi potestas vel ratione officii data est ,  
vel delegata. Si venia data sit cum onere , ut  
pœnitens se postea Superiori aperiat , invalidē  
absolvitur , qui illud recusat : cum promissio  
implicita , vel pactum pœnitentis cum Superiori ,  
sit conditio , sub quâ sola Confessario concedi-  
tur jurisdictione. Hæc concessio debet esse expressa

\* Cap. si & specifica. In generali \* enim concessione non  
Episc. de veniunt ea intelligenda , quæ non essent verosi-  
Pœnit. & militer in specie concedenda. Si tamen dicat Epis-  
Remiss. copus , concedo tibi omnem potestatem meam , cen-  
sendus est etiam concedere potestatem in casus  
sibi reservatos , nisi ex circumstantiis , vel con-  
suetudine aliam esse concedentis intentionem col-  
liga-

colligatur. Quare dum Summus Pontifex concedit alicui simpliciter casus reservatos, non est censendus hoc ipso concedere casus Bullæ Cœnæ. Neque illos concedens censetur hoc ipso comprehendere casum hæresis, licet quoad hoc probabiliter multi dissentiant, quando id conceditur pro partibus hæresi infectis. Similiter quando Superior alicujus Religionis concedit inferiori facultatem absolvendi à casibus in ista Religione reservatis, non censetur hoc ipso concedere facultatem ( quam suppono dare posset ex Ordinis privilegio ) absolvendi à casibus Pontifici reservatis, vel contra. Cum enim isti casus specialem reservationem habeant, indigent etiam concessione specialis ad eos facultatis.

18. Quamvis Superior non debeat esse nimium difficilis, dum inferior vel per se, vel per alium petit facultatem alteri reservata confitendi, imò graviter peccare possit hanc facultatem injustè negando, tamen potest, & interdùm tenetur eam denegare, præsertim Superior Religiosus, si timeat scandalum, aut grave damnum Communitatis, aut periculum relapsūs, aut relaxations Religiosæ disciplinæ ex nimia facilitate in hac facultate concedenda. Potest Superior veniam concedens præscribere certam pœnitentiam pro peccato reservato injungendam, vel etiam designare certum Confessarium, per quem melius & securius inferior dirigitur. Item quando dat facultatem non pro reservato jam commisso, sed fortè postea committendo, potest illam concedere cum onere postea se sistendi Superiori. Veniam à Confessario petitam licet negat Superior, si illi pœnitens absque causa justa confiteri recusat. Negat injustè, si ab eo rationabiliter pœnitens sibi timeat, vel obfirmatus sit potius non confiteri, quam se sistere Superiori; cum Superior infirmitati subditi ex officio teneatur succurrere. Potest tamen tunc cum ad Confessarium peritiorem dimittere. Semper etiam sine causa,

**Causa**, validè negat, cùm negatio non sit jurisdictionis concessio. Regulares tamen, quorum Confessariis potestibus negatur venia, illa vice, id est, semel, vi cuiusque petitionis rejectæ, absolvi possunt, sed tantum à constitutis Confessariis. Ita decretivit Clemens VIII. cuius ultior declaratio facta ab Urbano VIII. habetur Tom. 4. Bullarii Bull. 26.

19. Episcopi possunt absolvere à casibus Papalibus suos, qui ob impedimentum, etiam tantum temporale, Pontificem, vel ab eo Delegatum adire nequeunt: dummodò exceptis im- puberibus, jurent, quod cessante impedimento se illis sistent, relapsuti alias in censuram. Pos- sunt etiam juxta Tridentinum Sess. 24. c. 6. de reform. per se aut Vicarium ad id specialiter de- putatum suos absolvere à casibus Papalibus oc- cultis sed ab hæresi tantum per se, sic tamen, ut singulis vicibus deputare aliquem valeant. Privilegium illud non se extendit ad casus Bullæ Cœnæ, etiam occultos, cum per illam ipsam Bullam quotannis derogetur privilegiis omnibus, etiam per Concilium datis. Hinc ab Alexandro VII. meritò damnata est hæc: sententia afferens, Bullam Cœnæ solùm prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, Anno 1629. 18. Julii in Consistorio Sacrae Congregationis Eminen- tissimorum Cardinalium visa, & tolerata est. Regulares Privilegiati non possunt vi suorum privilegiorum absolvere à casibus Episcopo reser- vatis, maximè post condemnationem Alexan- drinam, quâ proscripta est hæc: Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopo reservatis, non obtentâ ad id Episcoporum facultate.

20. Quando casus est directè reservatus Papæ, & per delegationem Episcopo, sublata reserva- tione Papali, tollitur quoque Episcopalis. Secùs dicendum, si utriusque reservetur directè. Unde pec-

peccatum hæresis , licet defacto posset non esse reservatum Pontifici ob ignorantiam invincibilem annexæ censuræ , non definit propterea esse reservatum Episcopo . Venia in Jubelæo data ad absolvendum à quibuscumque censuris , etiam Sedi Apostolicæ reservatis , casus etiam Episcopales respicit , ut fertur declaratum in Consistorio Cardinalium apud Barbosam V. *Regulares quoad confes.* num. 16. Absolvitur à reservatis , qui ex animo lucrandi Jubilæum confitetur , licet illud postea animo mutato non lucretur , cum neque pro peccatis detur absolutio ad reincidentiam , neque pro censuris reincidentia per Bullam Jubilæi intentetur .

21. Superior , etiam Regularis ( nisi alicubi oppositum statutum sit ) qui suos à certis casibus reservatis licet absolvit , potestatem se ab iisdem absolvendi Confessario suo dare potest , ne prioritatis conditionis sit , quam Communitas , cuius est membrum . Vagi subjacent reservationi Episcopi , cuius subditis confitentur ; cum Pontifex Confessariis in illos majorem jurisdictionem non concedat , quam in alios habent : Peregrini vero reservationi Episcopi proprii , cum ex sola illius , vel Parochi interpretativa licentia extra Diœcensem confiteri possint , & hic pro reservatis veniam dare non possit , ille non velit , ne alid proficiscentium conditio melior sit , quam domi contentum . Possunt tamen absolviri à Confessario Regulari approbato , nisi eò venient in fraudem ad declinandum proptii Episcopi judicium , aut casus similiter reservatus sit in Diœcesi . pro qua talis Regularis est approbatus . Expressè enim Clemens X. in sua Constitutione , quæ incipit , *Superna Magni Patris Familia* , declarat , posse Regularēm Confessarium in ea Diœcesi , in qua est approbitus , confitentes ex illa Diœcesi à peccatis in ea reservatis , non autem in alia , ubi idem Confessarius est approbatus , absolvere : nisi eosdem pœnitens moverit in fraudem reservationis ad aliam Diœ.

*Diœcesim pro absolutione obtinenda migrasse.* Confitens non habenti potestate in reservata , & inculpabiliter reservatum omittens , indirectè ab eo absolvitur , cùm debitè sit dispositus , ut directè absolvatur à non reservatis nec ab illis absolviti possit nisi saltem indirectè absolvatur à reservato. Adeundus tamen postea est Superior pro absolutione illius directâ. Secùs dicendum , si confessio illa facta fuerit habenti facultatem in reservata : nam tunc tollitur reservatio casus inculpabiliter obliti , cùm Confessarius intendat pœnitentem liberare , quantum potest , dum ille fecit , quod potuit.

22. Ad accipiendam jurisdictionem in sacerdtales , eorumque confessiones audiendas necessaria est approbatio , quæ est autenticum testimoniū certi Episcopi de aptitudine ministri necessaria. Quamvis enim Presbyteri in sua ordinatione à peccatis absolvendi potestatem accipient , decernit tamen Sancta Synodus Tridentina , nullum , etiam Regularem , posse confessiones sacerdotium , etiam Sacerdotum , audire , nec ad id idoneum reputari , nisi aut Parochiale beneficium , aut ab Episcopis per examen , si illis videbitur necessarium , aut alias idoneus judicetur , & approbationem , quæ gratis detur , obtineat. Non autem tantum est illicitum audire sacerdotium confessiones sine absolutione , sed etiam absolutio est invalida. Quamvis enim Tridentinum nondicat expresse , irritam esse hujusmodi absolutionem , satis tamen apparet , hanc esse ejus mentem ; & ita ejus Decretum interpretatur communis DD consensus. Hinc ad audiendas confessiones illarum virginum , & juvenum , qui mensibus aliquot ante susceptionem habitus in Monasteriis degunt eā intentione , ut habitum suscipiant , non sufficit in Confessario facultas accepta à suo Prælato , sed requiritur Episcopalis approbatio : cùm tales juvenes ante susceptionem habitus adhuc sacerdtales sint , neque de numero Regularium computari possint. Unde qui eos percuteret , non in-

Sess. 23.  
cap 15. de  
Reform.

incideret in Canonem , si quis suadente , ubi sub Clerico comprehenduntur Regulares , sive Professi , sive Novitii. His consentaneè dicendum , nec confessiones famulorum inservientium Monasteriis audiiri posse per Religiosos , nisi ab Ordinario juxta formam Concilii Tridentini approbatos. Porrò cùm Concilium tantùm agat de confessionibus sacerdotalium , consequens fit , quod nihil innovaverit circa confessiones Regularium , sive virorum , sive mulierum , ac proinde vi illius Decreti non sit necessaria approbatio Episcopi in ordine ad istas confessiones. Non indigent illâ habentes actu Parochiale beneficium , nisi in aliena Dioecesi ( ubi oppositum non est in usu ) illius incolas audiant , cùm hoc ipso , quo ad tale beneficium assumuntur , dicantur ipso jure ad subditorum suorum confessiones excipendas approbati. Si tamen beneficium suum relinquant , aut eo priventur , egent , ut cæteri , approbatione ad confessiones audiendas.

23. Approbatus ab uno Episcopo , etiam Regularis , non censetur approbatus pro universa Ecclesia. Requiritur enim à Tridentino approbatio ab Episcopis , quo plurali numero insinuat , in diversis Dioecesibus diversas Episcoporum approbationes requiri. Id quod & ratio suadet : cùm in diversis locis non raro necessaria sit diversa Confessarii idoneitas ad audiendas confessiones , ob diversum hominem genus , diversos mores , & contrahendi modos. Unde jure proscripta est hæc ab Alexandre VII. Regulares Ordinum Mendicantium semel approbati ab uno Episcopo ad confessiones audiendas in una Dioecesi , habentur pro approbatis in aliis Dioecesibus , nec nova Episcoporum indigent approbatione. Possunt Episcopi approbare limitatè ad certum tempus , ad certum locum , & certas personas , non tantù n validè , sed etiam licite , si adsit justa causa iuri faciendi. Absque justa causa non possunt licite ,

citè , quia approbatio non datur per modum gratiæ , sed justitiæ , quando saltem datur præmisso examine. Revocatur invalidè pro toto Regulare in Conveniu approbatio data illimitatè quoad tempus , si id fuit inconsultâ Cardinallium Congregatione , ut Sacrum Consistorium declarasse testatur Peyriñis ad Const. 4. Sixti IV. §. 11. num. 45. Valide revocatur circa singulos cum examine approbatos , cùm revocatio auctoritatem testimonii dati destruat. Illicitè tamen (declarante eodem Consistorio apud eundem) idem , qui approbavit , illam revocat circa Regulares , aut eosdem ad examen cogit , nisi causa ad confessiones spectans ab iis data sit , vel Interdictum Episcopale non fuerit observatum.

Rit. Rom. 25. Præter ordinationem , jurisdictionem , & approbationem requiritur etiam in Confessario bonitas , scientia , atque prudentia . Bonitas alia est intrinseca , quâ bonus dicitur , qui est in gratia : alia extrinseca , seu legalis , quâ bonus appellatur , qui nullâ notâ , vel pœnâ legis est affectus. Illa solùm requiritur ad licitè hoc Sacramentum administrandum , non ad validè. Unde Concilium Tridentinum Sess. 14. Cap. 10. anathema dicit , si quis dixerit , Sacerdotes , qui in peccato mortali sunt , potestatem ligandi , & solvendi non habere. Ista quandoque requiritur etiam ad valorem Sacramenti , ut ritè conferatur , quia extra mortis articulum nemo publicè , & nominatim excommunicatus validam fuit sententiam in Fóro Pœnitentiali , cùm jurisdictione necessariâ carreat. Scientia etiam requiritur. Constat enim Sacerdotes judicium hoc , incognitâ causâ , exercere non posse. Scire autem debent . 1. Materiam , & formam , omniaque ad debitum ministerium spectantia. 2. Distinctionem peccati mortalis à veniali , seu inter lepram , & non lepram. 3. Circumstantias speciem mutantibus , & intra eamdem speciem notabiliter aggravantes . 4. Casus ordinarios , qui communiter ex ratione præceptorum de-

Trid. sess.

14.

accidunt (de extraordinariis sufficit, quod sciant dubitare, & libros, vel doctiores consulere) 5. Censuras, & poetas Ecclesiasticas, quae in communibus casibus incuruntur, & communis Ecclesiae usu, ac praxi receptae sunt. 6. Casus communiter reservatos, & reservari solitos. 7. Communia adversus peccata remedia, & omnia, quae ad verum, probatumque judicium ferendum ex parte sua sunt necessaria. Impedimenta denique matrimonii, & in iis gradus consanguinitatis, ac affinitatis: adeo ut illa exactissime in promptu habeat Quibus proinde non est studendum in fine deum Cursus Theologici (ut multis familiare est) quia scientia, quae citè comparatur, citè quoque perit, maximè in iis, quae juris positivi sunt, quae faciliter mente excidunt. Non tenetur tamen Confessarius dicta scire memoriter, ut recitare possit, sed sufficit, quod ea sciat in habitu, & virtualiter, ut, quando à pœnitente propnuntur, sciat sufficiens examen instituere, & rationabiliter de qualitate, & gravitate actus dijudicare: quod & requiritur. Non excusatur à peccato, suæ ignorantiae omnino conscius, licet ex obedientia Superioris confessiones audiat, nisi necessitas urgeat, aut pœnitens scientiæ defectum supplere possit, & velit. Absolutio tamen ab ignaro omnino Sacerdote lata valida est, si jurisditionem habeat, & essentialia Sacramenti servet. Subditus de sufficientia suæ scientiæ solum dubius potest & tenetur ad obedientiæ præceptum dubietatem suam deponere, cum in dubio Prælato obedientium sit, & causa timoris, si quæ subsit, tolli possit per diligens studium, & aliis mediis scientiæ defectum supplementibus Ordinariè requiritur scientia extensivè major in Confessario, qui in Civitate, Emporio, auiis Principum exponitur ad audiendas confessiones omnium eò confluentium (quem in omni genere materiæ, & omnes status hominum contingente oportet esse versatum) quam in eo, qui solum confessio-

nes audit in pagis Rusticorum, qui tantum scire debet materias, quæ rusticos, & personas ibidem conversari solitas concernunt, & quas ipsæ confiteri consueverunt. Dicitum est, ordinariè, quia revera etiam iam inter rusticos tot inundant mala, & tam diversi generis, ut amplissima scientia requiratur. Quod cum dolore experiuntur quotidie, qui illuminandis eorum conscientiis, & eliminandis peccatis accuratius student. Abundant enim & usuræ palliatæ, & injustitiæ in contractibus, & difficultates intricatissimæ in causis matrimonialibus. Prudentia quoque necessaria est, ut considerans cujusque statum, & conditionem conformiter interroget: (ne ignorantes importuna interrogatione doceat, quæ ignorant, & ita viam peccato suggerat, ac pœnitentes scandalizet) ut roget confessionem concernentia, non illa, quorum nec sua interest, nec ad hoc judicium ullatenus spectant, V.G. cuius familiæ sit, aut ubi habitat. Denique ne indignum absolutione absolvat, aut dignum sine ea dimittat: & in injungenda satisfactione procedat consideratâ quantitate, & qualitate criminum, ac personarum. Hædotes in illis non sunt, qui muneric sui esse existimant, quoslibet indiscriminatim absolvere, auditâ durantaxat eorum confessione, injunctaque levi, & unâ quidem omnibus pœnitentiâ, nisi forte quod in materia restitutionis, & impedimentorum matrimonii aliquid scire debebunt.

## §. VII. PARTES JUDICIS IN HOC SACRO TRIBUNALI.

§. 2. de 1. **P**raeclarum est Ritualis Romani monitum: Pœnit. *Imprimis meminerit Confessarius, se JUDICIS pariter, & MEDICI personam sustinere, ac Divine JUSTITIA simul & MISERICORDIAE ministrum*

ſtrum à Deo constitutum eſſe; ut tamquam arbiter  
inter Deum & hominem HONORI DIVINO, &  
ANIMARUM SALUTI consulat." Partes igitur Ju-  
" dicis partibus Medici temperandæ ſunt: judi-  
" ciumque, non quale in foro de capite Rei, ſed  
" quale in nosocomio de valetudine ægri, exer-  
cendum eſt, inquit alibi prælaudatus D. Steyaert.  
Itaque & quæ JUDEX, ut Reum absolvat, & quæ  
MEDICUS, ut ægrum relevet, Sacerdos ad audiendam  
confessionem vocatus, promptum, facilemque  
ſe præbeat. Hic enim, ſi ullibi, locum habet:  
tonde, dum candet.

2. Contra hoc monitum quidam peccant per  
excessum, quidam per defectum. Per excessum  
peccant, qui ſe quorumcumque confeſſionibus,  
adhibitis etiam emissariis, ingerunt, quaſi nemo  
alius hac in parte muneri ſuo faceret ſatis. Simi-  
liter & illi, qui quaſi quotidie promptos, facilesque  
ſe præbent mulierculis, & Filiabus Devotis,  
eadem ferè identidem occidentibus. & in vita ſpiritu-  
rituali nihil, aut vix proficientibus. Præterquam  
enim quod Confessarius non modici temporis  
jacturam patiatur, quod utilioribus poſſet impen-  
dere, ipſæ non raro indè superbæ fiunt non uno  
ex capite. Imprimis enim credunt ſe magni fieri  
à ſuis Confessariis, qui ſe quotidie tam promptos,  
facilesque oſtendunt ad eas audiendas. Deinde per  
hoc etiam ſe credunt meliores aliis, quas vident  
rariùs ad confeſſiones accedere, vel, ſi accedant,  
non tam facilè admitti. Credunt præterea ſe ſpi-  
rituales eſſe, cum tot ſpiritualia quotidie à Con-  
fessario audiant & cum eo de illis colloquantur.  
Hinc non raro curiosæ fiunt. Unde ſtudent, ut  
audita à Confessario intelligent; &, cum intelli-  
gere non poſſunt, nova ſemper, & nova dubia  
proponunt; aut ſi audita intelligent, ſollicitæ ſunt,  
in diem ſequentem rursùs aliquid inveniant,  
quod proponant, vel de quo colloquantur, ſem- 2. Tim. 3.  
per diſcentes, & numquam ad ſcientiam veritatis

pervenientes. Unde sæpè fit , ut , cùm totæ per intellectum occupatæ sunt , circa veritates minùs sollicitæ sint , ut illas capiant affectu , & exprimant actu. Ad hæc fiunt otiosæ , dum currendo ad Confessarium , & cum eo colloquendo , opera manualia negligunt. Non paucæ denique per quotidianas illas confessiones foventur in falsa securitate , dum credunt se quietas esse posse , modò peccata sua confessæ sint. Et hinc minùs sollicitè ea emendare satagunt. Per excessum etiam hic peccant Confessarii illi , qui se promptissimos , facillimosque divitibus exhibent , à quibus eorum manus sæpiùs inaurantur : per defectum vero , qui se morosos , & difficiles præbent pauperibus , à quibus nihil sperant , aut metuunt.

3. Confessarius quæ Judex , sive ex charitate , sive ex officio confessiones audiat , tenetur examinare Reum , quando probabiliter credit , aut suspicatur , eum peccaminosè omittere aliquid , quod est necessarium , ut judicium sit validum , & integrum : cum judex ex officio teneatur suppiere , quod deesse videtur , maximè in hoc iudicio , cuius invaliditas in offensam Dei , animæ damnationem , & Sacramenti violationem cedit.

Ad hoc etiam obligatur ex officio Medici , si erubescat ægrotus vulnus Medico detegere . Quod enim ignorat medicina , non curat. Hinc colligitur , examen pœnitentis Sacerdoti , seu Confessario competere in hoc iudicio , non per se , & directè , sed per accidens , & indirectè , ratione nimirum defectus pœnitentis , qui supleri debet. Cum enim iudicium hoc requirat voluntariam accusationem , juxta latitudinem scientiæ & conscientiæ in pœnitente , Sacerdos ex vi officii præcisè audire tantum debet , & judicare. Quia vero sæpè contingit pœnitentem deficere ex ignorantia , incuria , vel non sufficienti conscientiæ examine : hinc est , quod ad rectum iudicium perficiendum debeat Sacerdos quasi ex accidenti , necessariò supplere illum pœnitentis de-

Concil  
Trid. sess.  
14. cap. 5.

defectum , ne sacrilegium committatur , & ut tñtè officium suum peragere possit.

4. Tantum autem , & tale debet esse examen , ut probabiliter Confessarius arbitretur , nñ hñc & nunc omitti ex parte pœnitentis ad valorem Sacramenti necessarium . Et idcirò fieri non debet discurrendo per omnia peccata , sed tantùm per graviora , & ea , quæ attentâ qualitate , statu , vocatione , conservatione , opificio , vel exercitiis personæ , & similibus circumstantiis , frequenter ab hujusmodi personis committi solent : quia hæc sola probabilitatem alicujus defectus generare solent . Unde sæpius tempus validè inutiliter terunt , qui ad singulas personas ferè per omnia Decalogi præcepta , & per minutulas observantias discurrunt : cum nec hoc pœnitenti frequenter sit consultum . Non defolis peccatis tamen , sed etiam de dispositione necessariâ pœnitentis ad absolutionem facienda est inquisitio V. G. an sit vere contritus ? An habeat propositum firmum se emendandi , & occasiones lapsus vitandi ? An paratus sit proximo satisfacere in casibus id postulantibus V. G. furto , detractione , & hujusmodi , sine quibus hoc judicium sacrilegè administraretur . Omnia igitur , & sola ad examen Confessarii pertinent , quæ ex parte pœnitentis ad validam , & fructuosa Sacramenti susceptionem defactò requiruntur .

5. Examen illud , ubi necessarium fuerit , Confessarius ex gravi negligentia omittens mortaliter peccat , quia deest suæ obligationi in re gravissima , utpote in necessariis ad validam administrationem Sacramenti , sive Sacramentalis iudicij ad salutem pertinentis . Sitamen ex memoriæ labilitate , humana distractione , fatigacione spiritus ex nimia intensione in audiendis confessionibus , & similibus causis , aliqua examinare prætermitteret , vel totaliter à peccato excusaretur ( cùm hñc & nunc plura moraliter

præstare non possit) vel non nisi venialiter peccaret , si forte levis quædam negligentia intervenisset.

6. Porro in interrogando pœnitentes circa peccata , hanc à Pastorali Cameracensi præscriptam cautionem adhibeat Confessarius. Primo , ut non nisi juxta personæ statum , & conditionem , ac de PECCATIS COMMUNITER NOTIS interroget . Ac proinde non inquirat passim à conjugatis , an in usu conjugii non fiat copula extra vas naturale , cum præcipue in modum , quo id culpatur gravissime in Sodomitis , & in Philosophis Gentilibus : an non interveniat factum Onan , aut affectus adulterinus , hoc est , an in ipso conjugii actu imaginatione , aut affectu non feratur in aliam quasi sibi præsentem , sibique in actu isto consentientem , & obsequentem ; nisi forte ex quibusdam circumstantiis probabile fundamentum habeat similia suspicandi , ut dum V. G. cognoscit ex confessione , quod pœnitenti præ uxore magis alia placeat , quam ardenti affectu saepius concupiscit . Sicut enim illi , qui turpi pollutionis peccato se contaminant , saepe pissime imaginantur se cum hac , illave persona alterius sexus impudica committere , eo quod libidine incensi facile agglutinentur objectis suæ libidini allubescientibus ; ita quoque procul dubio fit frequenter , dum præ uxore magis allubescit alia . Observet secundò , ut in examinandis CARNALIBUS sit pudicus , & prudens , non descendens nimis ad particularia , ne se , & pœnitentem in certam ruinam , apertis velut oculis , præcipitet , cum Sacramenti nefando sacrilegio , & scandalo . Itaque , ut in Instructiōnibus Provinciæ Mechiliensis omnes & singuli Confessarii monentur , PARCE , abstinendo à curiosis & inutilibus interrogatiunculis , CASTE , utendo verbis pudicis , & VALDE CAUTE interroget , non solum quando virgines habet confitentes , sed etiam quando conjuges , aut quoscumque cœlibes ,

*celibes*, ne imprudenter interrogati de iis, quæ ignorant, scandalum patiantur, & peccare discant. Non igitur de aspectu, affectu, aut delectatione venerea circa bestiarum coitus passim examinandi sunt pueri, qui cuniculos, aut columbas alunt; *Rustici* item, & *Rusticæ* inter jumenta assidue versantes: nec pueri, an ludant aliquando cum aliis pueris in horreis, stabulis, granariis, aut aliis locis, ubi non videtur. Item dormiant soli, & si cum aliis, utrum aliis, vel alia voluerit ipsos tangere, vel ab ipsis tangi in honestè: ne peccare doceantur, quæ ignorant. Denique NEC IN TERTII PECCATA INQUIRAT, quando id non est necessarium. Unde praetextu examinis non intret domesticorum parvium penetralia, inquirens ab uxoribus, filiis-familias, & ancillis, de omnibus, quæ in domo fiunt: ne timoratas conscientias suspicionibus, judiciis temerariis, detractionibus, revelationibus, secretorum illicitis intricet, in magnum animarum gravamen, & tertiaræ personæ detrimentum, non sine Sacramenti injuria, & irreverentia. Proinde nequidem praetextu boni ipsius pœnitentis, aut complicis, in hujus personam inquirat contra Sanctorum praxim volentium, ut pœnitens alium etiam Confessarium querat, si huic forte peccatum suum sine alieno patefacere non posset.

7. De pœnitentibus circa mysteria Fidei interrogandis monet Rituale Cameracense eodem tit. §. I. Si confessarius, pro personarum qualitate, cognoverit pœnitentem ignorare Christianæ Fidei rudimenta, si tempus suffpetat eum breviter instruat. Ex quibus hæc duo pro praxi utilia rectè iterum colligit D. Steyaert. " Primum, non quoilibet promiscuè examinandos esse in Christianæ Fidei rudimentis, sed tantum pro personarum qualitate, quæ Confessarius judiciis aliquibus ea ignorare cognoverit. Multi siquidem sunt, de quibus ex sua conditione, vi-

„ vendique , & confitendi modo , dubitari non  
 „ potest , quin ista calleant : & quos proinde  
 „ importunissimum foret examine Cathecistico  
 „ crudè subjecere . Alterum est , econtra eos  
 „ aberrare , qui nullo prorsùs super talibus in  
 „ confessione examinandos , ac instruendos du-  
 „ cunt , sed generatim Confessario supponendum  
 „ statuant , omnes à Pastoribus affatim esse in-  
 „ structos . Cæterum cùm Rituale dicat , si tem-  
 „ pus suppetat , quæri cum eodem Eximio Domi-  
 „ no potest , quid faciendum , si tempus non sup-  
 „ petat ? Placet nobis ejus Responsio . Vel de ne-  
 „ cessariis agitur necessitate medii ad salutem , &  
 „ justificationem ? Et sic , si tempus instruendi non  
 „ suppetat , benignè remittendi sunt in aliud tem-  
 „ pus . Illicite quippe , & invalidè absolverentur .  
 Vel agitur de necessariis necessitate solâ præcepti .  
 Et sic , si tempus non suppetat , cæteraque ad  
 „ absolutionem non desint , absolvi potuerunt , &  
 „ moaci , ut ignorata post modùm diligentius  
 „ addiscant : & quidem quam primum , alioquin ,  
 „ ut addit Catheracense , absolutionis beneficium  
 „ eis deinceps negatum iri . Hoc verò opus , hic  
 „ labor est . Sunt quidam ( ut rectè observat idem  
 Doctor ) præ senio , vel mentis hebetudine non  
 „ rudes tantùm , sed etiam indociles , ut nullo  
 „ labore discere , & retinere ea queant , quæ illis  
 „ de Trinitatis , vel Incarnationis Mysterio dicunt  
 ( necessaria utique necessitate medii ad salutem )  
 „ industria aliás , & solertes in rebus sensui vici-  
 „ nioribus . Quid igitur pro illis remedii ? ” Nobis  
 „ ( inquit ) hæc cum iis praxis servanda videtur ,  
 „ ut , si discere , & retinere ea nequeant , saltē  
 „ identidem i , cùm ad confessionem recurrent ,  
 „ verba præenunte Confessario , actumque Fidei  
 „ præformante , hic & nunc illa profitantur ,  
 „ & credant . Sic enim fieri posse existimamus ,  
 „ ut non tantùm homines , sed & jumenta ista  
 „ salvet Deus . Sic voco , qui animalis quidem  
 „ multum , hominis verò præter formam , animam-  
 „ que

„que humanam , tam parum habent.” Placet & nobis hæc praxis præscripta ; nec est , cur cui- quam displiceat , nisi miseros homunciones istos omni salutis remedio destitutos velit. Similium itaque ignorantiam suppleat Confessarius , pro- ponendo Articulos credendos , ut ad singulos actum Fidei exerceant juxta propositionem Con- fessarii : E C. credis Deum esse unum in essen- tia , & trinum in Personis , prout credit Eccle- sia ? Respondet pœnitens : credo. Item : credis Filium Dei , Secundam Personam in Divinis , pro tua redemptione , & salute factum hominem in utero B. Virginis , natum , passum , mortuum , &c. ? Respondet : credo. Et sic de cæteris arti- culis principalioribus , ac necessariis. Demum in genere : credis , quidquid Ecclesia Romana cre- dit , & vis in illa Fide mori , &c. ? Ac tandem : doles ex corde , te ita negligentem faisse in illis necessariis ad salutem addiscendis ? Denique : proponis firmiter , datâ opportunitate , quod , quantum in te est , curabis te instrui , & discere ea , quæ ad salutem tuam sunt necessaria ? Si hos actus exerceat , sufficere existimamus , sal- tem in necessitatis articulo , ad sufficientem dis- positionem pro justificatione per absolutionem Sacramentalem obtinendâ.

8. Auditâ confessione Confessarius perpendens peccatorum , quæ pœnitens admisit , magnitudinem , ac multitudinem , pro eorum gravitate , & pœni- tentis conditione , OPPORTUNAS CORREPTIONES , AC MONITIONES , prout opus esse viderit , paterna charitate adhibebit , & ad dolorem , & contritio- nem efficacibus verbis adducere conabitur , atque ad vitam emendandam , ac melius instituendam in- duceat , remediaque peccatorum tradet . Proinde licet verissima sit prima pars dicti vulgaris , Sedem Confessionalem non esse fabulatoriam , nec con- cionatoriæ , secunda tamen cautè accipienda est , eo nimis sensu , ut non ingerantur conciones importunæ de rebus ad hoc Sacramentum non per-

Rit. Rom  
tit de pœ-  
nit. §. 12.

pertinentibus : non sicut tamen , ut numquam pœnitenti correptiones , monitiones , exhortationes , ac consilia adhibenda putentur. Contrarium hic sancit Rituale Romanum , consentiente Mechliniensi , dum monet , *ut in promptu Confessarius habeat selectissima , & efficacissima ad hunc contritionis dolorem excitandum mosiva.* Aperte proinde quorumdam Auditorum potius confessionum , quam verorum Confessorum praxim , qui aliud nihil sibi in Confessionali incumbere existimant , quam quod pœnitentem peccata sua quoad speciem , & numerum utcumque enarrantem auscultent pœnitentiā injunctā absolvant. In quos meritò cadit illud Jerem. 8. v. 11. *sanabant contritionem filiæ populi mei ad ignominiam , dicentes : pax , pax , cum non esset pax.* Sed quid de illis Confessariis , qui paſſim non modicum in Confessionali temporis insumunt , dando suis pœnitentibus promiscuè quætam PUNCTA , ut vocant , SPIRITUALIA ? Utinam in illis omnibus esset zelus secundum Deum , & non magis aliqui vanam inanis gloriæ auram captarent , quam profectum spiritualem suorum pœnitentium , dum hâc suâ praxi tamquam PATRES SPIRITUALES , & ILLUMINATI in vita spirituali audiri ambiunt , quales & per suas pœnitentes palam ubique deprædicantur , velut nemo alias in vita spirituali similiter esset versatus. Unde Confessarios alios , qui solum in necessariis ad dignam absolutionem suos instruunt , superciliosè despiciunt , & tamquam vitæ spiritualis ignaros reputant. Nolo judicare quemquam. Est , qui judicaturus est nos omnes. Sed de similibus R. P. Marchantii sententiam in hic Tract. medium profero. "Impertinenter ( inquit ) & non  
 2. tit. 7. „ sine peccato faciunt , qui in confessione tempus  
 q. III. „ terunt instructiōnibus ad hoc Sacramentum non  
 coac. 4. „ facientibus , de rebus , & exercitiis spiritualibus ,  
 „ de moribus , & directione filiarum spiritualium ,  
 „ audiētes omnia , quæ eis contingere dicunt ,  
 „ & de eis conferentes cum multa jactura tempo  
 „ ris ,

„ris, & gravibus periculis deceptionum propter  
 „familiaritates inutiles , quæ ex eis nascuntur.  
 „Rationem subjungit.” Quia hæc sunt contra  
 „puritatem hujus judicii , in quo si aliqua doctrina  
 „requiratur , non alia ratione requiritur , quàm  
 „in ordine ad absolutionem peccatorum , & præ-  
 „cavenda imposterūm peccata. Attendat , quæ  
 „so , Judge Sacramentalis ut CHRISTI Vicarius  
 „sibi ipsi : & videat , quàm graviter , & præcisè  
 „istæ causæ tractandæ sint , ex quibus animarum  
 „salus dependet. Quod si forensia negotia tam se-  
 „duci , & præcisè tractentur à judicibus , quàm  
 „turpe est , inutiles miscere quæstiones , & do-  
 „ctrinas in Divino illo Tribunal , quod ad pu-  
 „rificationem animarum est institutum. Et quam-  
 „vis sint sancta , quæ miscentur , distrahit ta-  
 „men frequenter à simplici illa , & humili , ac  
 „contrita confessione : & ista eloquia velùt muscæ  
 „perdunt suavitatem unguenti contritionis & af-  
 „fectuum dolorosorum.

9. Debent Sacerdotes Domini , quantum spiri-  
 tus , & prudentia suggesserit , pro qualitate cri-  
 minum , & pœnitentium facultate , SALUTARES ,  
 & CONVENIENTES satisfactiones injungere : ne , si  
 forte peccatis conniveant , & indulgentius cum  
 pœnitentibus agant , levissima quedam opera pro  
 gravissimis delictis injungendo alienorum pecca-  
 torum participes efficiantur. DEBET ergo Sacer-  
 dos ad perfectionem integralem Sacmenti sa-  
 tisfactionem imponere , nisi pœnitentis impo-  
 tentia excusat. Proportionatè enim ad modum ,  
 quo Deus peccata remittit , pœnæ aliquid re-  
 linquendo , Sacerdotem in Sacramentali absolu-  
 tione procedere voluit Christus. Sub mortali ad  
 hoc obligatus est Confessarius , si pœnitens mor-  
 tale aliquod primò confiteatur , eo quod mate-  
 ria gravis graviter in Sacramento puniri semel  
 debeat. Unde gravissimè peccant , qui pro qui-  
 busvis peccatis , etiam gravissimis , levissimas  
 pœnitentias injungunt , V. G. pro aliquot mor-  
 talibus

Trid. less.  
x4. cap. 8.

talibus totidem Rosarii Decades. Hæc enim si levissima pœnitentia non sit, quænam, amabo, erit? Si vero subjiciantur sola venialia, aut mortalia alias confessa, sicut pœnitentiæ pro illis impositam non nisi sub veniali pœnitens implere debet, ita & Confessarius non nisi sub veniali imponere. Pro mortali primò confessio injugenda est obligatoria sub mortali, nisi excusat causa allata, cum proportio exigat grave puniri graviter. Imponenda est per modum præcepti, non consilii, ut probat potestas ligandi, quâ h̄ic Sacerdos utitur, & officium Judicis. Injungi debet absolutè, non sub conditione. Hac enim deficiente pœnitens liber foret. Quamquam ultra proportionatam absolutè datam, cum hæc latitudinem patiatur, adjici possit aliquid sub conditione, V.G. recidivæ. Dari potest post absolutionem, quamvis convenientius, & utilius præmittatur: quia dum commodè fieri potest, materia præsupponenda est formæ, & pœnitens priùs proposito satisfacere debet, quam absolvī, ut ratio justitiae servetur.

10. Non debet Confessarius in pœnitentiis injungendis temerè procedere, sed invocatâ gratiâ Spiritus Sancti mature expendere, quamnam expeditat satisfactionem injungere, ne in ejus excessi, aut defectu peccetur, de quo Confessarios omnes hic monet Tridentinum, dum ait, *quantum spiritus, prudentia suggesterit*. Duo autem sunt, ad quæ potissimum attendere debet Confessarius, ut hac in re prudenter se gerat. Primum est *criminum qualitas*. Quippe per se loquendo pro majoribus criminibus major satisfactione injungenda est. Quamvis autem non fiat h̄ic mentio multitudinis peccatorum, certum tamen est, multiū etiam ad eam esse attendendum, ut juxta mensuram peccati sit & plagarum motus. Alterum est *pœnitentium qualitas*: quo nomine involuntur omnes circumstantiæ tenentes se ex parte pœnitentis, ut sent ejus con-

conditio , ætas , sexus , valetudo , convictus , infirmitas , &c. Non enim prudenter quantitas , & qualitas satisfactionis præscribi potest , nisi ad illas , & similes circumstantias reflectendo. Quis enim noa videat , notabiles elemosynas imprudenter injungi illis , qui diurno labore victum fibi comparant ; aut graves corporis afflictiones , ut jejania , flagellationes ; cilicia , &c. pueris , senibus , fœminis gravidis , aut illis , qui vel infirmâ sunt valetudine , vel quotidiè in aliquo opere laborioso desudant , vel in aliqua conditio ne degunt ærumna , & miseriis plena ? Unde rectè Rituale Romanum addit §. 13. *Salutarem , & convenientem satisfactionem , quantum spiritus ; & prudentia suggererit , injungat , habita ratione status , conditionis , sexus , & ætatis , & item dispositionis pœnitentium.*

11. *Salutares , & convenientes satisfactiones injungat.* Tales autem sunt præcipue ob duas causas : videlicet , si aptæ sunt , ut per eas Deo satisfiat , quales generaliter loquendo sunt magis poenales. Secundò si idoneæ sunt ad relatum cohibendum , quæ alio nomine medicinales dicuntur , quia à peccato revocant , & quasi freno quodam coercent ... cautioreisque , & vigilanter in futurum pœnitentes efficiunt : Mendentur quoque peccatorum reliquis , & viciosos habitus male vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt. Quæcumque ergo satisfactio nata non est illa conveniens , & salutaris , quam Tridentinum requirit. Nec Indulgentiarum quidem prætextu omitti potest , nisi ipsa opera præscripta talia forent , quæ ejus vices in ordine ad eosdem effectus supplerent. Talis etiam non est , quæ adeò gravis est , ut habita ratione conditionis , aut infirmitatis pœnitentium , aut aliarum circumstantiarum , meritò timeatur , ut eam impleant , aut ne à confessione deinceps eos retrahat , atque ita non in salutem eorum , sed in exitium vertatur. Unde rectè Angelicus Doctor ; *Sacerdos non Quod 3. oneret a. 28.*

Trid. sess.  
14. cap. 8.

oneret pœnitentem gravi pondere satisfactionis; quia sicut parvus ignis à multis lignis suppositis de faciliter extinguitur ita posset contingere, quod parvus affectus contritionis in pœnitente nuper excitatus, propter grave onus satisfactionis extingueretur, peccatore totaliter desperante. \* Pœna itaque satisfactoriæ injungendæ ut medicinæ sunt... Sicut ergo medicus aliquando prudenter non dat medicinam ita efficacem, quæ ad morbi curationem sufficiat, ne propter debilitatem naturæ majus periculum oriatur: ita Sacerdos Divino instinctu motus non semper totam pœnam, quæ uni peccato debetur, injungit, ne infirmus aliquis ex magnitudine pœnae desperet, Et à pœnitentia totaliter recedat.

\*in 4. d.  
18. q. 1.a.  
3. quæsti-  
unc. 4. in  
corp.

Quod. 3. In quo tamen casu Sacerdos pœnitenti indicet; a. 28. quanta pœnitentia esset sibi pro peccatis injungenda, Et injungat sibi nihilominus aliquid, quod pœnitens tolerabiliter ferat, ex cuius impletione assuefiat, ut majora impleat, quæ etiam Sacerdos sibi injungere non attentasset. Et hæc, quæ præter injunctionem expressam facit, accipiunt majorem vim expiationis culpæ præteritæ ex illa generali injunctione, quæ Sacerdos dicit: QUIDQUID BONI FECE-  
RIS, SIT TIBI IN REMISSIONEM PECCATORUM (unde laudabiliter consuevit hoc à multis Sacerdotibus dici) licet non habeant majorem vim ad præbendum remedium contra culpam futuram. Et quantum ad hoc talis satisfactio est Sacramentalis, in quantum virtute Clavium est culpæ commissæ expiativa. Hinc Confessarius dum morbo valde oppresso & morti proximo levissimam pœnitentiam imponit, moneat infirmum, ut dolores suos in satisfactionem Deo offerat, atque eum in finem patienter toleret, Quod si morbus remissus sit, & spes adsit convalescentiæ, sic pœnitentiam injungat, ut gravior pars ejus tantum post convalescentiam sit implenda.

12. Sano sensu dici potest, quod pœnitentiæ sint arbitrariæ, non quod liberum sit Confessori illas imponere, vel non imponere, sed quod in his

his imponendis non teneatnr sequi Antiquos Canones Pœnitentiales. *Infirmitas enim hominum Pastorale jam non patitur, ut condigne eis pœnitentiae juxta Mechlin. veteris Ecclesiae disciplinam imponantur, Arbitra- sub HORIÆ ergo dici possunt, quia judicio Confessarii re VIO editum est, ut spectata conditione pœnitentis, tum Anno & spiritualis ejus utilitatis, possit injungere poe.* 1598.

nitentias accommodas ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, & ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem.

*Quare curet Confessarius, quantum fieri potest, ut contrarias peccatis pœnitentias injungat; veluti avaris (furibus, injustis, Prodigis) eleemosynas; libidinosis (gulosis, ac ebriosis) jejunia, vel alias corporis afflictiones; superbis humilitatis officia; defidiosis devotionis studia; raro, vel seriis confitentibus, vel in peccata facile recidenteribus, utilissimum fuerit consulere (imo & pro pœnitentia injungere) ut saepè, puta semel in mense, vel certis diebus Solemnibus confiteantur, & si expedit, communient. Experienciam enim teste vix talit remedium, præsertim si pœnitens huc adduci possit, ut apud eundem Confessarium confiteatur. Ad tollendas verò peccandi consuetudines nihil ferè utilius præscribi potest pœnitentibus, quam ut quotidiè per aliquod tempus manè, dum surgunt, proponant, peccatum illud, cuius pravam consuetudinem habent, isto die vitare, & in eum finem Divinum auxilium implorent; vesperi autem conscientiam suam præcipue circa illud peccatum examinent; &, si deprehendant se in illud iterum incidisse, veniam à Deo petant, actum contritionis eliciant, & emendationem propo-*

Rit. Rom.

§. 14.

13. Ordinariè injungenda sunt opera externa, eo quod huic Sacramento sint magis convenientia, quod, cum sit sensibile, etiam exigere videtur satisfactionem sensibilem. Absolutè tamen loquendo injungi possunt etiam merè interna, V. G. actus contritionis aliquoties per hebdomadam singulis

gulis diebus iterandus. Quamvis enim tales actus  
 non sint per se sensibiles, sunt tamen sensibiles  
 per accidens, atque ita elevari possunt virtute  
 Clavum, perinde ut contritio. Hæc doctrina usui  
 esse potest respectu moribandi voce jam destituti,  
 sed non sensu interno. Tali enim convenienter  
 in satisfactionem actus aliquis internus contritio-  
 nis injungitur, aut interna invocatio Nominis  
 JESU & MARIE. Interdum quoque imponi potest  
 abstinentia à Communione, ut si expedit reve-  
 rentiæ Sacramenti, aut mortificationi pœnitentis,  
 subinde abstinere. Tunc enim abstinentia re-  
 stè consultur, quidni ergo à Justice præcipiatur?  
 Per se loquendo tamen non expedit, cum Sanctissi-  
 sum Eucharistiæ Sacramentum sit efficacissi-  
 sum adversus peccata remedium. Unde hic at-  
 tendant Confessarii illi, qui prætextu antiquorum  
 Canonum ita facile pœnitentes suos participatio-  
 ne Corporis Christi privant. Attendant, inquam,  
 & expendant verba capituli 56. dist. 1. de pœnit.  
*Sunt qui arbitrantur hoc esse pœnitentiam, si absti-*  
*neant à Sacramentis cœlestibus. Hi severiores in se*  
*judices sunt, qui pœnam præscribunt sibi, reme-*  
*dium declinant, quos vel pœnam suam convenie-*  
*bat dolere, quia cœlesti fraudantur gratiâ. Neque*  
*ultra dicere pergaunt: quæ magis peccato accom-*  
*modata potest esse pœnitentia, quam ad tempus*  
*separari ab Eucharistia? Injungi etiam possunt*  
*opera præcepta. Non enim ratio præcepti impe-*  
*dit, quod minus opus sit satisfactorium ex opere*  
*operatoris; adeoque, si imponatur à Confessario,*  
*fiet Sacramentaliter satisfactorium. Quia tamen*  
*impositio operum liberorum magis punitiva est,*  
*& melius cavet peccata futura, hæc regulariter*  
*est adhibenda, saltem simul cum impositione ope-*  
*rum præceptorum. Unde si Confessarius non ex-*  
*primat, se injungere tale opus præceptum, nec*  
*ex circumstantiis id colligi possit, censendus est*  
*imperasse opus diversum ab opere aliunde præ-*  
*cepto. Unde jussus simpliciter in satisfactionem*  
*semel*

semel jejunare, non satisfacit jejunando eo die, quo ad jejunium tenetur ex præcepto. Similiter iussus simpliciter audire missam, non satisfacit unicum audiens die Festo Injungi denique potest oratio pro defunctis, ut constat ex praxi Ecclesiæ. Etsi autem tunc applicetur defunctis valor satisfactorius, quem habet illa oratio ex opere operantis, tamen valor Sacramentalis, & ex opere operato prodest soli pœnitenti, qui fructum, seu effectum Sacramentalem non potest aliis communicare.

14. Imposita Reo pœnitentia commutari potest ab eodem Confessario, qui dedit, etiam post confessionem, dummodò peccatorum confusè sit memor, & adhuc moraliter duret prius judicium, ad quod requiritur temporis propinquitas. Unde meritò à Doctoribus rejicitur sententia Lugonis non aliud tempus determinantis, quā in intra quod Confessarius recordatur confessionis, vel statūs pœnitentis. Quod confirmat exemplo ipsius satisfactionis Sacramentalis, quæ post longum tempus impieta sufficienter unitur reliquis partibus. Et quidem sufficienter uniretur, etsi ex præcepto Confessarii implenda demūn foret intra septennium. Ex quo tamen non sequitur, sententiam, seu judicium Confessarii per septennium moraliter durare. Aliud est de satisfactione. Ipsa enim manet post finitam sententiam judicis implenda cum suo tractu temporis vi obligationis à Reo suscepτæ imposterūm exequendi mandatum. Sicut in judicio forensi judex succedens in alterius munus, mutare potest taxatas à priori judece pœnas, ita & in hoc Sacro Tribunalī fieri potest, dum subest legitima causa. Etsi enim alias Confessarius, idem tamen est Tribunal, idemque judicium ejusdem potestatis. Neque enim quoad potestatem absolvendi, & ligandi in hoc foro unus alio est superior, cùm hæc judicialis potestas immediate exerceatur vice Christi, sub quo quilibet Sacerdos est supremus judex, etsi in-

ferior debeat à superiore recipere jurisdictionem, seu materiæ applicationem. Quidam h̄ic distinguendū putant inter pœnitentiam vindicativam, & medicinalem, seu præservativam. Sed par videtur ratio de utraque, nec Confessarii in praxi inter unam & alteram differentiam faciunt, nisi dum medicina imposta est unicum remedium præcavendi peccata; in quo casu debet etiam sponte à pœnitente abhiberi, nec potest à quocumque Confessario tolli. Necesse est tamen, dum pro commutatione pœnitentiæ alius aditur Confessarius, aut idem peccatorum oblitus, ut confessio de novo fiat, eo quod nemo commutare possit antiquam pœnitentiam, nisi imponendo novam, pro qua confessio requiritur. Non debet tamen iterata confessio esse tam exacta, & distincta, quam fuit ab initio necessaria ad obtinendam absolutionem. Ex hac enim parte jam satisfactum fuit integritati confessionis, quæ in ordine ad absolutionem principaliter requiritur. Quare sufficiet præbere alteri Confessario notitiam talem, quā prudenter in pœnitentia commutanda dirigi queat. Imò sufficiet interdùm dicere: similem huic confessionem aliàs feci, & similia peccata confessus sum, de quibus iterùm me accuso. Quod probari potest exemplo Confessarii primò pœnitentiam imponentis, qui frequenter tempore impositionis non recordatur distinctè peccatorum in speciali, sed silius status pœnitentis in confuso. Fieri etiam posset, quod pœnitens esset peccatorum singulatim oblitus, & tamen occurreret iusta causa commutationis, quæ aliquando tam aperta posset esse ex solo statu pœnitentis, etiam independenter à qualitate peccatorum, ut prudenter fieri posset gratiosa remissio, accedente fortè impotentiâ aliam pœnitentiam faciendi.

15. Quæsi hic solet, an ad commutandam pœnitentiam ab alio Confessario injunctam necessarium sit, ut pœnitens dicat, se talem, vel talem pœnitentiam accepisse; an verò sufficiat simpli-

citer denuò eadem peccata confiteri, eorumque pœnitentiam quasi tunc primò accipere. Postremum sufficere existimant nonnulli, quibus contradicimus, eo quod sic procedendo videatur à secundo Confessario novum præceptum imponi, obligatione priori relicta, adeoque pœnitens videatur obligatus ad utramque pœnam proportionatè ad gravitatem illius, & materiæ confessio- nis, necessariæ scilicet, vel liberæ. Posita impositione novæ pœnitentiæ proportionatæ, si causa unam omittendi subest, liberum est pœnitenti am- plecti alterutram: cùm peccatum, sicut tantum semel confitendum, ita etiam semel tantum Sa- cramentaliter condignè intra fragilitatem pœni- tentis puniendum sit. Peccat tamen, qui sine cau- fa omittit alterutram, & certus non est de remis- sione totali pœnæ, utpote Sacramentum alteru- trum integritate sua destituens. Pœnitentia ob ca- sus reservatos à Superiore data commutatur in- validè ab inferiore: hic enim illos non magis Sa- cramentaliter primò punire potest, quàm possit absolvendo remittere.

16. Audita in confessione taliter noscere de- bet Sacerdos, quasi non audiverit, & quasi non noverit. Est enim hīc inviolabilis silentii obli- gatio, confessionis onus non parùm allevians, tum ex jure naturali obligante ad non evulgan- dum, quod sub secreto acceptum est, præser- tim cum damno, infamia, aut alio alterius incommodo: tum ex jure Ecclesiastico cap. *omnis utriusque sexus*: tum denique ex jure Divino quasi naturali, seu ex natura rei consequente institutionem hujus Sacramenti, ne scilicet con- fessio secreti revolatione reddatur nimis odiosa. Atque ex hoc tertio capite oritur summus ille obligationis rigor. Nam ex jure merè naturali, aut Ecclesiastico non potuit tam gravis obligatio resultare. Non ex naturali, quia ad bonum commune potest quandoque, immò debet naturale secretum solvi. Non etiam ex Ecclesiastico:

alioquin enim posset Pontifex ex gravi causa in eo dispentare. Hinc colligitur, in violatione sigilli multiplicem malitiam reperiri, videlicet infidelitatis, injustitiae, & sacrilegii. Infidelitatis quidem, & injustitiae erga pœnitentem; sacrilegii vero respectu Sacramenti ob violationem reverentiae ei debitae. Et haec malitia ex natura sua semper est mortal is, sic ut non possit esse venialis ob parvitatem materiae, licet possit esse talis ob defectum advertentiae.

Item. Oritur ex omni, & sola confessione Sacramentali, seu facta animo se accusandi in foro pœnitentiae ex desiderio absolutionis, licet defit in confiteente dolor, in absolvente Sacerdotium, seu iurisdictionem. Odiosissima enim alias fieret confessio, si peccata exposita ob defectum aliquem pœnitenti inculpabilem revelari possent. Hinc etiam oritur ex confessione per errorem facta non Sacerdoti gerenti se pro Sacerdote. Item ex comparitione coram Superiore pro reservatis, sive ante, sive post confessionem: quia si fiat ante, est quædam confessionis inchoatio; & si fiat post, est quædam illius consummatio. Non tamen oritur ex confessione, quam pœnitens Sacramentalem esse non vult; eo quod revelatione odium nullum creet Sacramento, quod non intenditur: ut si peccatum narretur ab irridente Confessarium, aut eum ad peccatum alliciente, vel etiam causâ consilii ad confessionem non necessarii. Cadunt sub sigillo directè mortalia in genere, vel specie, venialia vero quoad speciem, frequentiam, & numerum, etiam illa, quæ pœnitens dubius, vel formidans narrat ut peccata, cum peccata non sint. Peccat ergo contra sigillum Sacramentale, qui pro peccatis occultis, quantumvis gravibus, manifestam pœnitentiam imponit, hoc est, per quam peccatum manifestetur, vel saltem in suspicionem pœnitens veniat de gravi aliquo delicto commisso. Item qui indicat pœnitentiam

tentiam gravem , aut aliud , unde gravitas delictorum colligatur. Ex opposito non peccat , qui revelat veniale in genere , dicendo V. G. talis confessus est leve peccatum ; aut generalibus terminis ait , aliuin recte esse confessum , licet tertius inde colligat , quod peccata quædam sibi nota confessus sit : quia modus ille narrandi nullum odium confessioni parit , cum pœnitens tantumdein indicet eo ipso , quo ad confessio- nem accedit. Similiter dicendum , si revelatur peccatum commissum , sed nullo modo deter- minetur persona , quæ illud commisit. Unde non violat sigillum , qui præcisè dicit , se in confessione audivisse hæc , & illa peccata. Si tamen designetur locus , aut communitalis parva , dicendo V. G. tali loco audi vi multa adulteria , aut in tali Monasterio aliquem esse fornicatum , à peccato excusandum non puto. Hoc certum , non facile loquendum de auditis in confessione , etiam abstrahendo à persona , præsertim coram rudioribus , ne scandalizentur suspicantes violari sigillum : & generaliter coram omnibus , ne postea per inadvertentiam aliqua addantur , oc- currantque circumstantiæ , ex quibus deveniatur in suspicionem personæ. Indirectè sub sigillum cadunt circumstantiæ odiosæ revelatu , quæ à pœnitente conducere putantur ad peccati mani- festationem , ut imperfectiones naturales , vel morales , occasions peccatorum , peccatum complicis : item peccatum à pœnitente com- mittendum , dummodò intentionem illius faci- endi Sacramentaliter confiteatur. Non cadunt circumstantiæ , quæ revelatae nullum odium pariunt , licet etiam in ordine ad peccatum narratae sint , ut nomen , patria , dignitas , status ,

18. Interrogatus de cognitis per confessionem non potest ullo modo tergiversatione aliqua , aut responso æquivoco occasionem dare de illis suspicandi , sed debet protestari , interrogatio-

nem istam sibi , & Sacramento esse odiosam , ac omni responso indignam . Quod si id non sufficit , ad tollendam omnem suspicionem potest , & debet simpliciter negare se quidquam scire , etiam cum juramento , si id necessarium sit : quia scientia , quam habet ex confessione Sacramentali , perinde est , ac si illam non haberet . Si vero interrogetur , utrum pœnitentem absolverit , an non , debet præcisè respondere , se functum esse suo officio . Alioquin enim id affirmans de uno , & non de altero , indirectè revealaret ejus indispositionem , aut casum reservatum . Quapropter dum Confessarii in Paschate dant pœnitentibus testimonia auditæ confessionis , tantum testari debent , talem fuisse sibi confessum , non vero fuisse absolutum , nisi specialis ratio aliud postulet .

19. Petes 1. quid faciendum Confessario , si moribundus obligatus ad restitutionem roget illum , ut hæredes suos moneat de restitutione facienda ? Ratio difficultatis est , quod per hanc mutationem daturus sit hæredibus occasionem vehementer suspicandi se peccatum aliquod in confessione audivisse , ob quod facienda sit restitutio R. si moribundus habeat ad manum necessariam pecuniam , illam ab eo petat , ut eam restituat illis , quibus debita est , tacito restituens nomine . Sin minus , curet moribundus per testamentum dari Confessario talem summam pecuniae , ut in finem illi notum eam eroget , aut certè hæredibus suis dicat , se debere tali personæ tantam pecuniae summam , velleque , ut illi debito satisfiat , tacitâ interim hujus debiti causâ , si ita optet , Quod si nullum istorum fieri possit , vel quia moribundus non habet ad manum pecuniam restituendam , vel quia non suppetit tempus advocandi Notarium , vel quia præter Confessarium nullus est præsens , dicat Confessarius postea hæredibus , sibi injunctum à moribundo , ut illis significet restituendam talem pecuniae summam ,

mam , tacitā restitutionis causā ( nisi ad eam manifestandam veniam acceperit ) ac paratum se esse , si illam summam velint ei committere , illam tradere ei , aut eis , quos moribundus ipsi nominavit.

20. Petes 2. quid faciendum Parocho , si excipiens confessionem sponsi , vel sponsæ pau'ò post matrimonio conjugendæ , jamque consanguineis in Templo congregatis , ex confessione deprehendat occultum aliquod impedimentum dirimens , ex eo , quod V.G. sponsus fororem sponsæ , aut ejus consanguineam in gradibus prohibitis carnaliter cognoverit ? Ratio difficultatis est , quod ex una parte non possit impedimentum illud manifestare salvo confessionis sigillo : ex altera autem matrimonium futurum sit invalidum ob illud impedimentum. R. si nullo modo salvo confessionis sigillo possit matrimonium illud differre , debet illos conjugere , & sponsum pœnitentem admonere , si jam illi impedimentum significaverit , abstinentem ipsi esse à sponsæ amplexu , donec , impedimento per dispensationem sublato , fiat validum matrimonium. Aut potius impedimentum taceat : ipse autem statim impedimenti dispensationem procurer , eaque obtentā ingeniosè mutuum sponsi , & sponsæ consensum in matrimonium rursùs impetrat , prioris matrimonii invaliditate non declaratā ; quia videtur præstare , ut peccent materialiter potius , quam ut declarato impedimento exponatur sponsus manifesto periculo peccandi formaliter.

21. Scientiâ confessionis cum gravamine pœnitentis uti numquām licet. Ita Anno 1682. quosdam docuit Roma Belgas , quibus Casuistæ videbantur hac in re scrupulosi nimis. Hinc aiebant : scientiâ ex confessione acquisitâ uti licet , modò fiat sine directa revelatione , & gravamine pœnitentis , nisi aliud multò gravius ex non u sequatur , in cuius comparatione prius merito contennatur. Sed hæc meritò omnibus sobrie sa-

pientibus semper displicuere. Violat sigillum Confessarius , si extra confessionem agat cum pœnitente citra ejus veniam de auditis in confessione ; ita ut ne quidem eum admonere liceat de defectu gravi in confessione admisso , non obtentâ priùs facultate. Si tamen statim post impositam pœnitentiam , ac datam absolutionem Confessarius judicet aliquid addendum circa dicta in confessione , potest id facere , cum illud pertineat ad confessionis complementum. Potest etiam in sequentibus confessionibus pœnitentem admonere de defectu aliquo in prioribus admisso , illique repræsentare gravitatem relapsūs in eadem peccata , quæ priùs fuerat confessus. Veniam enim ad hoc implicitè concedere censetur pœnitens eundem Confessarius frequenter solitus , præsettum si confiteatur circumstantiam ad priora peccata pertinentem Venia à pœnitente obtainenda debet esse libera , non dolo , aut metu extorta. Imò non videtur Confessarius pœnitentem , si non obligetur ex iure naturæ , per modum pœnitentiæ obligare posse , ut sibi extra confessionem peccata revelet. Præterquam enim , quod omnia illa Sacramento odiosa sunt , ultimum in fraudem sigilli fieret. Veniam quoque ab illo extorquere non potest , ut ex scientia Sacramentali corrigere possit complicem , qui aliter emendari potest ; nisi pœnitens ex charitate obligatus sit alterum corrigere , & per se non possit. Usus scientiæ Sacramentalis similiter illicitus est , qui confessionem odiosam reddit ; ut si ex eo consciī criminis colligant , quod culpam certam pœnitens confessus sit. Illicitus etiam est usus ingratuus , quem pœnitens solus colligit ex confessione procedere , ut vultus austerior , declinatio consortii , denegatio occulta Eucharistiæ. Licitus est alijs , qui non est directa , vel indirecta confessionis revelatio , aut talis , ut per eum confessio non reddatur odiosa , aut magis difficilis : ut si

V. G.

V. G. Confessarius moveatur ex confessione  
pœnitentis ad orandum pro eo , ad studendum  
pro casibus ab eo propositis , ad vitanda pericula,  
in quibus pœnitens ruinam spiritualem passus est,  
&c. Tunc enim cessat utraque ratio , ob quam  
usus talis scientiæ potest esse illicitus , videlicet  
revelatio confessionis , & odium illius. In dubio  
tamen , an ex ejus usu adsit periculum directæ ,  
aut indirectæ revelationis , aut ne reddatur  
confessio odiosa , aut magis difficilis , omnino  
ab hujusmodi usu abstinendum est. Idem dicen-  
dum de usu , qui fit claram pœnitente , nam juxta  
regulam datam illicitus est , si odiosus sit , ur-  
negatio suffragii , amotio indigni ab officio  
licitus verò omnis alius pœnitenti non ingratus  
Superioribus tamen Regularium à Clemente  
VIII. interdictum est , ne ad exteriorem gubernationem  
utantur eâ notitiâ , quam umquam  
ex confessione hauserunt , his verbis : *tam Su-*  
*periores pro tempore existentes , quam Confessarii ,*  
*qui postea ad Superioritatis gradum fuerint pro-*  
*moti : caveant diligentissime , ne eâ notitiâ ,*  
*quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt ,*  
*ad exteriorem gubernationem utantur : atque ita*  
*per quoscumque Regularium Superiores , quicum-*  
*que illi sint , observari volumus. Ad transgressio-*  
*nem autem hujus præcepti non requiriur , ut*  
*pœnitens advertat , aut suspicari possit id fieri*  
*occasione confessionis , sed satis est , si revera*  
*id fiat. Non enim minus averteretur à confes-*  
*sione , si sciret posse Confessarium occultè contra*  
*ipsum uti scientiâ in confessione accepitâ , quam*  
*si sciat posse id facere , ipso adverteute.*

in Decre-  
to editio  
An 1594.  
die 26.  
Maii.



## §. VIII.

SENTENTIA JUDICIS  
IN HOC SACRO TRIBUNALI.

1. Et absolutio Sacramentalis, quam non esse nudum ministerium pronunciandi, & declarandi remissa esse peccata confitenti, sed actum judiciale, quo à Sacerdote tamquam à Judice verè peccata remittuntur, definitum est in Tridentino. Certissimum Ergò est, in hoc Sacramento per claves Ecclesiæ remissionem peccatorum conferri, nisi sit impedimentum ex parte confitentis. Proinde non sub incerto modo deprecatiæ orationis significanda est in hoc Sacramento remissio peccatorum, sed sub certitudine per indicativam orationem. Quippe in Sacramento Pœnitentiae verba scripturæ, quæ maximè sunt sectanda, non faciunt mentionem de aliqua deprecatione, sed magis ipsa verbo indicativo utitur. Non enim dicit, quæcumque petieris esse solvenda, erunt soluta, sed, quæcumque solveris, erunt soluta. Si ergò illa tantum dicuntur esse soluta, quæ habens claves solverit, qui autem petit aliquid esse solvendum, non solvit, miror, qua temeritate aliquis afferat esse solutum, quem habens claves non significat se solvere, sed solum rogat esse solvendum.

2. Rectè monet Rituale Romanum: *videat diligenter Sacerdos, quando, & quibus conferenda, vel neganda, vel differenda sit absolutio, ne absolutat eos, qui talis beneficii sunt incapaces.* Porrò quandonam neganda sit, aut differenda, aut conferenda, res est non levis momenti, nec exiguae in praxi difficultatis. Etsi enim certissimum sit, denegandam, aut differendam esse indisposito, concedençam autem disposito, nisi in dilatione apparet uotabilis utilitas pœnitentis, nec dilatio fiat ipso invito, non raro tamen difficile est cognoscere, an pœnitens habeat dignam dispositio nem, an illâ careat. Unde exurgit periculum aut fa-

faciendi injuriam Sacramento , si absolutio concedatur indisposito , aut pœnitenti , si dispositio negetur , aut ei differatur ipso invito. Ad quod diligenter advertant , velim , qui dilationem absolutionis tamquam regulam communem assumunt pro prima saltem vice , quâ quis peccatum aliquod mortale confitetur , nec pœnitentem ritè absolvi existimant , nisi fuerit semel , aut iterum remissus. Ad primum autem , qui nullam umquam inabsolutum dimittere profitentur , sed omnes ferè indiscriminatim absolvunt , cùm tamen non raro casus dimitendi occurrant. Non enim de re quapiam insolita h̄ic Rituale agit. Ne igitur temerè , adeoque illicitè aut denegetur , aut differatur , aut concedatur absolutio , præcipuos casus adferamus , in quibus neganda sit , aut differenda.

3. Casus jam dictos idem Rituale recenset , & absolutionis incapaces declarat , qui nulla dant signa doloris ; qui odia , & inimicitias deponere , aut aliena , si possunt , restituere , aut proximam peccandi occasionem deferere , aut alio modo peccata derelinquere , & vitam in melius emendare nolunt ; aut qui publicum scandalum dederunt , nisi publicè satisfaciant , & scandalum tollant. Neque etiam eos absolvat , quorum peccata sunt Superioribus reservata. De hoc ultimo satis actum est supra. Nunc singillatim expendamus alia. Primo absolutionis incapaces declarantur , qui nulla dant signa doloris. Non igitur omnis confitens semper habendus est verus pœnitens , nec generatim sola confessio sufficiens est doloris signum ( loquitur hic enim Rituale de confitentibus ) Imò nec satis est semper , quod confitens dicat se dolere , & emendationem proponere ; adeoque non semper credendum est illi hoc pro se dicenti , ut ex hac Innocentiana liquet : pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei , naturæ , aut Ecclesiae , et si emendationis spes nulla appareat , nec est neganda , nec differenda absolutio , dummodo ore preferat se dolere , & proponere emendationem .

4. Ejus-

4. Ejusdem beneficij incapaces sunt, qui odia, & inimicitias deponere, & aliena, si possunt, restituere nolunt. Quibus ultimis anumerandi sunt, qui debita, cum possunt, nolunt solvere. Circa odia vero, & inimicitias id recte servandum monet D. Steyaert, ut nec omnibus absolutio denegetur, qui se nondum e corde omnem injuriarum sensum telere posse fatentur ( dummodò de hoc doleant, &, ut faciant, serio annitantur, adhibitis etiam mediis eò conducentibus ) Sed nec omnibus detur, qui se nihil mali inimicis precari, aut velle dicunt, paratos etiam esse pro illis orare, omniaque alia facere, præter ea, quibus significant se injuriam dimisisse. Non enim sufficit, vindictam non meditari, injuriam in corde remittere, sed oportet etiam externè cum inimico redire in gratiam, & palam dare reconciliacionis signa, ad tollendum publicæ inimicitiae scandalum.

5. Sequitur, aut proximam peccandi occasionem deserere. Merito. Unde jam proscripta est haec: potest aliquando absolvī, qui in proxima peccandi occasione versatur, quam potest, & non vult omittere, quin imò directè, & ex proposito querit, aut ei se ingerit. Sed quænam occasio proxima, ac proinde vitanda? Inde enim pendent, quæ in hac materia dicenda occurrunt plurima. Malè ab aliquibus ad eam requiritur, ut semper, plerumque, vel æquè frequenter in peccatum trahat. quām non trahat. Quis enim neget, quod frequentatio certæ domūs, ubi quis ex singulis quatuor vicibus semel dumtaxat fornicari solet, vel ex singulis ducentis solūm quinquagesies, sit illi personæ occasio proxima? Occasionem itaque peccati proximam dicimus, ac proinde vitandam, quæ per se, & ex natura, attentâ communi hominum fragilitate, vel per accidens, & ex hujus hominis infirmitate affert morale periculum peccandi. Itaque occasio peccandi, quæ est proxi-

proxima respectu unius , potest esse remota respectu alterius , & contra ; quia fieri potest , & recipia sœpè fit , ut quis in aliqua occasione frequenter peccet , altero in eadem non peccante. Imò non raro accidit , quod eadem occasio respectu ejusdem uno tempore sit proxima ( quando neinpe in ea frequenter peccat ) altero autem tempore sit remota , quando desit in ea peccare , aut saitem tato peccat. Itaque siue occasio proxima , aut tantum remota , non tam judicandum est ex natura istius occasionis , quām ex multitudine , aut raritate lapsuum ex ea provenientium. Fatendum tamen , multum etiam attendendum esse ad naturam occasionis. Sicut enim minus speranda est emendatio , quando talis naturæ est , ut multum per se excitet ad peccandum , qualis V. G. est cohabitatio cum ea , quācum peccavit , ita facilius deneganda est , aut differenda absolutio propter perseverantiam in hujusmodi occasione , quām in alia , quæ minus excitat ad peccatum. Quotnam relaptus ad hoc requirantur , non potest præcisè definiri , cum non consistat in indivisibili , siisque id variè existimandum secundum diversas species peccati , diversasque ejus circumstantias , quæ à prudenti Confessario pensandæ sunt. Sicur enim quædam peccata , V. G. quæ ore , vel cogitatione fiunt , facilius committuntur , quām quæ ipso externo opere exercentur : ita major numerus in illis , quām in his requiritur. Porro occasio peccandi proxima alia est voluntaria , qualis est concubinarii , qui domi concubinam , vel ancillam alit , quācum quasi uxor loco peccare solet , vel similem detinet in aliena domo , ad quam omni tempore patet accessus : alia non voluntaria , qualis est illa , in qua iuvenis existit , sœpius in mollitiem , seu pollutionem incidere solitus ex fragilitate proprii corporis , quippe cum illud exuere , & à se amovere non possit. In quali etiam uxor versatur assueta rixis , & pessi.

pessimis imprecationibus in maritum , & proles , quippe quarum causam cohabitatio præbet , quam sine illorum injuria deserere nequit . Talis quoque est militia respectu militis frequenter in ea peccantis , cum non possit militiam invito Duce absque peccato deserere , & venia , ut suppono , abeundi denegetur : uti & famuli frequenter peccantis cum filia familias , ex aliquo contractu oneroso , a deoque ex justitia obligati ad servendum certo temporis spatio . Latum autem inter utramque intercedit discriminem . Existens enim in occasione peccati proxima , & voluntaria , per se loquendo , absolvendus non est , antequam actu illam deserat , sive illa absoluta sit , sive dumtaxat respectiva , quantumvis etiam illam deserere non possit sine suo incommodo , aut gravi damno temporali . Unde permanens in aliquo officio , arte , aut mercatura , in qua frequenter solitus est peccare , si adhibitis aliis mediis nulla appareat vitæ correctio , absolvendus non est , nisi eam deserat : quia peccatorem adeò fragilem , & remedia adversùs reincidentiam præscripta sæpiùs frustra expertum velle adhuc permanere in tali occasione , est interpretativè velle peccare . Quare in hoc casu urget illud Christi : *Si manus tua , aut pes tuus scandalizat te , abscide eum , & projice abs te , Bonum tibi est ad vitam ingredi debilem vel claudum , quam duas manus , vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum . Et si oculus tuus scandalizat te , &c.* Unde meritò proscriptæ sunt sequentes .

**Matth. xii. 18** Proxima occasio peccandi non est fugienda , quando causa aliqua utilis , aut honesta non fugiendi occurrit . 26. Innoc. Licitum est querere directè occasionem proximam peccandi pro bono spirituali , vel temporali nostro , vel proximi . 76. Innoc. Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam , si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii , vulgo Regalo ; dum deficiente illâ nimis ægrè ageret vitam , & aliae epule tædio magno

*magnō concubinariū afficerent, & alia famula  
nimis difficile obligaretur.* 41. Alexand. Porro  
existens in occasione peccandi involuntaria, si  
verè contritus appareat, sitque paratus uti re-  
mediis adversus relapsum præscribindis, absolvī  
poterit semel, atque iterū, ac deinceps, si  
emendatio subsequatur. Permanentia enim in  
tali occasione ei imputari non potest ad culpam,  
cum nemo possit obligari ad deserendam occa-  
sionem, quam absolute non potest deserere, vel  
non nisi cum peccato. Hoc enim esset obligari  
ad peccandum, ut evitetur peccandi periculum,  
adeoque ad faciendum malum, ut veniat bonum.  
Dictum est, ac deinceps, emendatio subsequatur,  
quia si post unam, aut alteram confessionem  
non appareat emendatio, differenda erit absolu-  
tio, donec ex lapsu definentia, aut notabili  
immunitio videatur emendatus.

6. Pergit Rituale: *aut alio modo peccata relin-  
quere, aut vitam in melius emendare nolunt.*  
Quales imprimis sunt, qui interrogati, an aliud,  
quod confessi sunt, omittere velint, candidè  
fatentur se non relicturos. Sed & illi quoque,  
qui etsi omissuros se dicant, satis tamen nos-  
cuntur non omissuri, adeoque nec serio id qui-  
dem velle. Quod patet 1. si reincidentiae in eadem  
peccata post confessiones aliquoties reiteratas,  
sint adhuc æquè frequentes. Vix enim credibile  
est, ipsum saepius habuisse de illis verum dolo-  
rem, & sincerum emendationis propositum, &  
nihilominus adhuc æquè frequenter relapsum esse  
in eadem peccata. Hic tamen casus quibusdam  
limitationibus eget, de quibus infra. 2. Si aliquoties  
promiserit seu famæ, seu bonorum fortunæ  
restitutionem, & promissum nequit impleverit  
absque justa causa. 3. Si contra fidem semel,  
atque iterum datam nequit deseruerit occasio-  
nem proximam peccandi, quæ ipsi est volunta-  
ria. 4. Si aliquoties spoponderit, se redditum in  
amicitiam cum proximo, & palam daturum re-

con-

conciliationis signa ad tollendum publicæ inimi-  
 citiæ scandalum, & promissis non steterit. Idem  
 dicendum est de non servatis aliis promissis cir-  
 ca res graviter obligantes. Denique si " consue-  
 " tudine peccandi irretiti , nulla adhuc forti , &  
 " firmata voluntate in contrarium muniti videan-  
 " tur , sed adhuc cum Augustino semisaucia vo-  
 " luntate inter velleitates , desideriaque jactentur.  
 " Non requirimus tamen , ut prorsus omni ha-  
 " bitu malo , & propensione etiam ingentier con-  
 " suetudine orta , liber sit pœnitens ; quippe quâ  
 " ne Sancti quidem conversi , aliquando intra an-  
 " nos plurimos liberati sunt : sed ut saltem vo-  
 " luntate in contrarium firmata ( quod sœpè qui-  
 " dem temporis alicujus experientia , aliquando  
 " etiam alia probare poterunt ) jam planè velle  
 " censeantur vitam in melius emendare ; uti Au-  
 " gustinus sub fico jam velle cœperat , nec de ejus  
 " dispositione ad Baptisnum est dubitatum. Ita re-  
 è Eximius D. Steyaert. Non requiritur tamen,  
 ut absit omnis reincidentiæ metus. Imò potiori  
 jure tunc danda est absolutio , ut pœnitens gra-  
 tiâ Sacramentali contra relapsum muniatur. Quin  
 si infelicitate quadam contingat eos postea ( quæ  
 hominum est infirmitas ) adhuc labi , non ideo  
 mox absolutione privandi erunt , sed juvandi rur-  
 sùs , & ad conatus acriores animandi , quād diu  
 videmus pro viribus eos agere , & ad totalem  
 emendationem planè conniti.

7. Atque hinc nostra de Consuetudinariis , &  
 Recidivis sententia aliqualiter colligi potest. Li-  
 bet tamen eam paulò fusiùs hic exponere. Et qui-  
 dem distinguendus est recidivus à consuetudina-  
 rio. Licet enim omnis consuetudinarius sit reci-  
 divus , non tamen ècontra omissis recidivus est  
 consuetudinarius. Ut enim pœnitens sit recidi-  
 vis , fatis est , quod post confessionem adhuc re-  
 lapsus sit in idem peccatum , licet non sœpè. Ut  
 autem sit consuetudinarius , debet sœpè reincidente.  
 Hoc prænotato dicimus , pœnitenti recidivo , ex

et præcisè , quod recidivus sit , non semper , aut ordinariè differendam esse absolutionem , donec notabili tempore à peccato , in quod aliquoties reincident , abstinuerit. Id manifestum nobis videtur in Tridentino *Sess. 14. Can. 1.* ubi anathema dicit illi , qui negaverit , *Pœnitentiam non esse verè* , & propriè *Sacramentum pro fidelibus* , QUOTIES POST BAPTISMUM IN PECCATA LABUNTUR , ipsi Deo reconciliandis à Christo Domino nostro institutum . Ex quo planè sequitur , relapsum in peccata præcisè , & secundùm se non esse signum non veræ pœnitentiæ præcedentis , nisi hoc Sacramentum sit institutum pro fidelibus Deo reconciliandis , simulatè solùm pœnitentibus. Fallit hoc signum sæpiùs. Quod enim aliquis postea peccat vel actu , vel proposito , non excludit , quin prima pœnitentia vera fuerit. Numquàm enim veritas prioris actus excluditur per actum contrarium subsequentem. Sicut enim verè cucurrit , qui postea sedet : ita verè pœnituit , qui postea peccat. Perperam ergò ex quavis reincidentia dubium movetur ab aliquibus de valore primæ absolutionis , dum illa verba Gregorii magis , quàm sensum attendunt : *pœnitentia est , anteacta peccata defere , & deflenda non committere*. Et illa Isidori : *irrisor est , & non pœnitens , qui adhuc agit , quod pœnitet*. ubi supra. Quos benè redarguit Angelicus Doctor , rectius sic exponens : *pœnitere est anteacta peccata deflere , & flenda non committere ; scilicet simul , dum flet , vel actu , vel proposito*. Ille enim est *irrisor , & non pœnitens , qui simul , dum pœnitit , agit , vel proponit iterum se facturum , quod gessit , vel etiam actualiter peccat eodem , vel alio genere peccati*.

8. Erit nihilominus dilatio absolutionis necessaria , si confessionibus aliquoties reiteratis , reincidentiæ pœnitentis in eadem peccata fuerint æquè frequentes post singulas confessionis , & que deliberatæ , atque eodem , aut uno , altero ve-

terore die post confessionem inceperint ; nec in præsenii confessione apparent signa majoris doloris , quām in præcedentibus ; nec circumstantiae sint mutatæ. Frequentes enim istæ reincidentiæ in illis circumstantiis videntur sufficien- ter arguere defectum veri doloris , & sinceri propositi. Dixi 1. *confessionibus aliquoties reiteratis.* Si enim unica dumtaxat confessio frequentes istos relapsus præcesserit , non statim inde colligi debet insufficientia præsentis doloris , & ineffica- cia propositi ad negandam *absolutionem* , sed poterit Confessarius , postquām pœnitentem ad efficacem peccatorum detestationem validis mo- tivis excitarit , eum iterūm absolvere , si aliunde nihil obstet ; ut perseverentia in occasione proxi- ma , aut recusatio mediorum à Confessario præ- scriptorum adversus relapsum. Non volumus er- gò Confessarium ita esse morosum , ut numquam peccatorem recidivum absolvat , sed illius obli- gationem esse putamus , ut , quando post aliquot iteratas absolutiones nulla prorsùs emendationis signa invenit , illum sine absolutione dimittere debeat , & ipsi remedia quædam præscribere , cum pia , & salutari admonitione , ei præ oculis po- nendo , quod frustra Sacerdos ipsi manum impo- nat , si Deus pœnitentiam ipsius sufficientem non agnoscat , & post habitam aliqualem saltem emen- dationem ipsi absolutionis beneficium impendere. Dico , *aliqualem saltem emendationem.* Non enim requiritur , quod totaliter emendatus sit , seu con- suetudinem peccandi totaliter extirpaverit , sed sufficit , si eam aliquousque superaverit , ut Sa- cerdos prudenter cogitare possit , jam pœnitentem affectu esse extra peccatum , quamvis non dum totaliter aetü. Et propterea dixi 2. & *rein- cidentiæ fuerint æquè frequentes.* Censendus est au- tem relapsus frequens , si sit quotidianus , aut fe- rè quotidianus , imò si ter , aut quater singulis septimanis contingat , aut ad singulas occasionses recurrentes , &c. maximè si externo opere pec- catum

eatum compleatur. Duxi 3. *eaeque deliberatae.* Quia si reincidentiae indeliberatae fuerint ( ut s<sup>æ</sup>pè contingit in illis , qui assueti sunt juramentis, blasphemias, malis imprecationibus, &c.) non arguunt, quamvis frequentes, defectum veridoloris, & sinceri propositi, quando vi doloris, & propositi adhibent moralem aliquam diligentiam ad pravam illam consuetudinem jurandi, blasphemandi, &c. tollendam. Secūs, si nullam adhibeant. Duxi 4. & *eodem, aut uno, alterove die post confessionem inceperint.* Si enim pœnitens tantum reinciderit aliquamdiu post illam, sic ut vi doloris, & propositi, ac gratiæ Sacramentalis aliquamdiu à peccato abstinuerit, aut gravi tentationi restiterit, aut occasionem peccandi evitaverit, censendus est habuisse verum dolorem, ac sincerum propositum. Et relapsus postea secuti tribuendi sunt inconstantiae, ac fragilitati humanae. Duxi 5. *nec in præsenti confessione appareant signa majoris doloris, quam in præcedentibus.* Si enim hujusmodi signa appareant, si præter momentum sioguliat, si lacrymetur, si paratus sit ardua quædam facere ad vitandum relapsum, aut saltem ea omnia, quæ Confessarius in illum finem suggeret, poterit iterum absolvi. Duxi 6. *nec circumstantiae sint mutatae.* Si enim foret in mortis periculo, si jam sublata esset relapsuum occasio, aut novum vitæ genus fuisset aggressus, absolvendus foret hujusmodi recidivus. Ex quo patet, quid censendum sit de absolutione conjugandorum, qui huc usque impudicè versati sunt, & si absque conjugio manerent, s<sup>æ</sup>pius in sua consuetudine pergerent. Patet, inquam, esse absolvendos, præsertim si vel ideo ad matrimonium confugiunt, ut impudicitiis finem faciant. Sic enim suadet ipsorum dispositio hactenùs bona, quod necessarium medium amplectantur ad cavendam peccati consuetudinem. Nec refert, quod peccare pergerent, si manerent innupti; quia nemo judicabitur ex eo, quod ficeret, sed

quod facit: nemoque est, qui non certis occa-  
sionibus positis mali aliquid faceret. Unde nec  
ipsis conditio illa proponenda est: vellesne per-  
gere in vita ista impura, si matrimonium non  
inires?

9. Sed quid faciendum est Confessario prima  
vice audienti pœnitentem lapsum in multa mor-  
talia ejusdem speciei, ut prudenter judicet, sitne  
recidivus absolutione indignus, an non? R.  
interrogare debet ejusmodi pœnitentem 1. à quo  
tempore ultimam confessionem instituerit. Iste  
enim temporis cognitio necessaria est ad judican-  
dum, fuerintne relapsus frequentes, an non.  
Qui enim frequentes sunt V. G. respectu octi-  
dui, non semper sunt reputandi tales respectu  
aliquot mensium. 2. Si attento temporis spatio  
videat pœnitentem frequenter peccasse, debet  
ulterius illum interrogare, an similiter relapsus  
fuerit frequenter in istud peccatum ante alias  
confessiones. 3. An aliquo tempore post illas  
abstinuerit. 4. Unde orientur frequentes isti re-  
lapsus, &c. His enim, aliisque similibus à  
pœnitente interrogatis, facile intelliget, sitne  
juxta prædictas limitationes absolvendus, an  
non. Post hæc absolvi vetantur, qui publicum  
scandalum dederunt, nisi publicè satisfaciant,  
& scandalum tollant, nempe dum possunt. Merito  
autem: nam quam diu manet datum scandalum,  
tam diu perseverat nocumentum, & absolutio  
talibus data ipsamet esse scandalosa.

10. Quamvis in quibusdam casibus allatis ali-  
quoties dixerimus denegandam esse, aut diffe-  
rendam absolutionem, quasi pro eodem sumen-  
tes negare & differre, eo quod aliquando suffi-  
cere videbatur dilatio; quia tamen plus est de-  
negare, quam differre absolutionem, pauca de  
his delibemus. Et in primis si dispositio pœniten-  
tis omnibus consideratis appareat dubia, sic ut  
non adsint sufficientia indicia debitæ ejus dis-  
positionis differenda est absolutio, quo usque ha-  
bentur

beantur sufficientia ejus signa. Excipe mortis articulum, aut præsens ejus periculum, in quo saltem sub conditione danda esset absolutio. Porro quandonam dispositio pœnitentis sit hoc sensu dubia, pendet ex variis circumstantiis, ad quas prudens Confessarius debet reflectere. Differenda etiam videtur absolutio per se loquendo, si post confessionem diu omissem, & frequentes lapsus, appareat pœnitentem negligenter examinasse conscientiam. Dico, *per se loquendo*, quia per accidens non esset propterea absolutio differenda in sequentibus casibus. 1. Si instaret mortis periculum. 2. Si pœnitens videretur adeò rudis, ut non posset per seipsum sufficienter conscientiam discutere. 3. Si appareret h̄ic & nunc verè contritus, & crederetur dilatâ absolutione non habiturus opportunitatem redeundi, aut alia ex causa non redditurus. His tamen, & similibus casibus tenetur Confessarius diligenti interrogatione defetum examinis supplere. Si Confessarius omnibus attentis judicaret profuturam pœnitenti absolutionis dilationem, V. G. ut criminum suorum gravitatem magis apprehenderet, ut citius, & efficacius occasionem peccandi desereret, rem alienam restitueret, aliasve obligationes impleret, &c. licet appareret benè dispositus, posset nihilominus laudabiliter illi ad breve aliquod tempus absolutionem differre, saltem non invito. Dico, *ad breve tempus*, quia diurna absolutionis dilatio nullo modo usurpanda videtur respectu benè dispositi; per hoc enim exponeretur periculo diu remanendi in statu peccati, cùm incertum sit, an perfectam contritionem habeat. Unde & incurreret jacturam bonorum operum quæ interea exerceret. Dixi etiam, *saltem non invito*. Cùm enim pœnitens ritè dispositus habeat jus ad absolutionem, non videtur illi invito differenda. Quod maximè locum habet, si per istam dilationem prævideatur esse periculum, ne cogatur iterum alteri confiteri eadem peccata. Injustè enim hoc

hoc onus illi imponeretur. Hinc erroneum est generatum afferere differendam esse absolutionem pœnitenti , donec per aliquod notabile tempus à peccatis commissis abstinuerit. Certum enim est , ad absolvendum pœnitentem sua peccata integrè confessum sufficere , si habeantur solida indicia veri doloris , & sinceri propositi , qualia etiam certum est sœpiùs haberi , antequām pœnitens notabili aliquo tempore à peccatis abstinuerit. Hæc autem indicia sunt . 1. Confessio accuratè facta post diligens examen , idque ex proprio motu , non ex parentum , vel magistri , alteriusve auctoritatem habentis imperio , aut aliquo respectu humano. Eam autem accurate fieri patet , cum & singulæ peccatorum species , & determinatus eorum numerus , cum circumstantiis malitiam aggravantibus distinctè exprimuntur 2. Gemitus , lacrymæ , suspiria , aliaque hujusmodi intensi doloris signa . 3. Difficultas gravis in detegendo infami aliquo crimen , quod in aliis confessionibus fuerat ex pudore prætermissum . 4. Longum , ac molestum iter confessionis causâ suscepsum . 5. Eleemosynæ , jejunia , orationes , Missæ sacrificia , &c. Deo oblata ad obtinendam gratiam veræ pœnitentiæ . 6. Generalis confessio peccatorum totius vitæ . 7. Prompta voluntas ad subeundas gravas pœnitentias in satisfactionem peccatorum , aut difficultia remedia adversùs relapsum adhibenda . 8. Occasiones peccandi magna cum animi lucta abruptæ , aut graves tentationes superatæ . 9. Abstinentia per tempus notabile ante confessionem , idque illius intuitu. Hæc enim , & similia satis ostendunt , pœnitentem accedere cum vero peccatorum dolore , & sincero emendationis proposito . Quia tamen absunt non raro illa specialia debitæ dispositionis indicia , ita ut aliud argumentum debiti doloris , ac propositi non habeatur , quām quod pœnitens dicat se verè de peccatis dolere , & emendationem proponere , difficultas est circa hanc

hanc nudam pœnitentis testificationem , an scilicet sufficiat , ut Confessarius prudenter judicet eum esse debitè dispositum. Nobis dicendum apparet , seclusis specialibus rationibus dubitandi ( de quibus supra ) prædictæ pœnitentis testificationi esse credendum. Cum enim Christus hoc Tribunal ita instituerit , ut in eo pœnitens sit simul & Reus , & Accusator , & Testis , sicut illi creditur accusanti , & testificanti sua celieta , ita etiam credendum est illi testificanti suum dolorem , & propositum. Quam Doctrinam expressè tradit Doctor Angelicus in Suppl. q. 3. a. 5. ad 2. & certè multùm cavere debet Confessarius , ne ob leves ratiunculas temerè judicet pœnitentem debito dolore , aut proposito carere , dum utrumque affirmat. Sic enim judicando , duplēcē illi inferret injuriam. 1. Temerè judicando eum non sincere agere , & loqui in re tanti momenti. 2. Denegando , aut differendo illi absolutionem propter hoc temerarium judicium. Quia tamen aliquando accidit , quod non fietè quidem pœnitens agat , dum dolorem suum , ac propositum testificatur , ipse tamen fallatur , existimans vel ex ignorantia , vel ex præsumptione se esse dispositum , cum revera non sit : ideò Confessarius habens justam causam dubitandi de ejus dispositione , debet ex illo ea petere , ex quibus id colligere possit. Hoc tamen observa ex S. Thom.\* posse dari dolorem aliquem sufficientem ad validè hoc Sacramentum recipiendum , qui non sufficiat ad ejus fructum : ac proinde non solum defectu examinis ( quod facilius ab aliquibus admittitur ) sed etiam defectu contritionis , ac propositi dari posse Sacramentum Pœnitentiæ validum , & tamen informe. Quæ sententia Angelici Doctoris multùm consolatoria est Confessariis pro praxi , særè etiam necessaria , ne pœnitens særius multorum annorum confessiones repetere debeat , cum suo maximo gravamine , & incommodo.

\*in Suppl.  
q. 9. a. 2.

## APPROBATIO.

**T**ractatus hic de Sacramento Pœnitentiæ sub Titulo *Angelus Impœnitens Pœnitere* Authore Reverendo Admodum Patre HENRICO VAN HEDICKHUYSEN S. T. D. Erudite compositus, Theologis ac Confessarius accommodus imprimi poterit. Actum Antverpiæ 17. Septembris 1712.

J. L. DE CARVAJAL Eccl. Cath. Can.  
Grad. Jūdex Synodalis ac Libr. Censor.

## SUMMA PRIVILEGII.

**C**AROLUS VI. Divinâ fatente Clementiâ, Electus Rom. Imperator semper Augustus, Hispaniarum, & Indiarum Rex Catholicus, &c. Archidux Austriæ, Potentissimusque Belgarum, & Burgundionum Princeps, &c. Diplomate suo sanxit, ne quis intra sexennium citra voluntatem, & consensum JOANNIS PAULI ROBYNS Typographi Antverpiensis Tractatus cui titulo *Angelus Impœnitens pœnitens* Authore Rev. Adm. Patre HENRICO VAN HEDICKHUYSEN S. T. D. &c. in Belgio imprimat, aut alibi impressum in has inferiores Germaniæ Ditiones importet, venalemve habeat. Qui secùs faxit, exemplarium confiscatione, aliâque gravi pœnâ multabitur, ut latiùs patet in Literis, datis Bruxellæ die 21. Octobris 1712.

*Signat*


LOYENS.

I O.  
o Puniter.  
enitens Pa.  
lum Patre  
SEN S.  
ologis ac  
ni pterit.  
1710.  
d. Catilin.  
Censo.

EGII.

ementia,  
er Augu-  
x Catho-  
tissimus  
inceps,  
s intra  
Jesum  
Antver-  
s Impani-  
e HENRI-  
c. in Bel-  
in has  
ter, ve-  
empla-  
multa-  
Bruxellz  
N S.





## TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007



## TIFFEN® Gray Scale

© The Tiffen Company, 2007

